EXORCISMI

Potentissimi, & efficaces, ad expellendas aëreas tempestates, à dæmonibus per se, sive ad nutum cujusvis diabolici ministri excitatas.

Ex diversis, & probatis Auctoribus collecti,

A. R. PRES.

PETRO LOCATELLO,

Tit. S. Cassiani Bergomi.

His Exorcismis addita sunt:

Præparatio Sacerdotis ad Missam celebrandam.

Quatuor initia Evangeliorum: cum suis Orationibus.

Introductio mulieris post partum, & modus deducendi, & sepeliendi Funus.

Ordo ad faciendam aquam benedictam.

Benedictio Pulveris tormentarij.

Ordo Baptismi Parvulorum. Et de Sacramento Extremæ Unctionis.

Editio altera correctior.

LABACI, Typis & Impensis JOANNIS BAPT. MAYR, 1680.

Sacerdotes, & alij, commodè tam diu adjurare poſſunt, quàm diu vident tempeſtatis periculum imminere.

Advertat, & conſideret Sacerdos adjurans, an aliqua iſtarum Adjurationum videat dæmones magis terreri, ac pavescere, & tempus tempeſtuoſum fugari eam repetat, prout ſibi videbitur magis expedire.

7440 L725
A. 4465.
Db

INDEX.

INtentio ad Missam devotiùs & attentiùs legendam. Fol. 1

Beatissimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum auxilium ante Missam postulandum Oratio. 2

Oratio Sacerdotis ante Missam. 4

Oratio post Missam. ibid.

Alia Oratio post Missam. 6

Oratio Sacerdotum pro Sacerdotibus. 6

Præparatio Sacerdot. ante Exorcismum. 9

Exorcismus Salis, & Aquæ. 11

Deprecationes Davidicæ contra malignos spiritus. 21

Exorcismus contra imminentem tempestatem fulgurum, & grandinis. 31

Alius Exorcismus efficacissimus, contra ipsam imminentem tempestatem devote dicendus. 47

Alius Exorcismus contra Tonitrua, Fulgura, & Tempestates. 63

Alius Exorcismus Grandinis. 73

Ex-

INDEX.

Exorciſmus, ſive Adjuratio Tempeſt. 7
Alia Adjuratio. 7
Alij Exorciſmi contra Tempeſt. 8
Alius Exorciſmus, 9
Alius Exorciſmus. 9
Alius brevis Exorciſmus. 10
Alius Exorciſmus exaratus ex quorun-
dam Opuſc. 10

De Proceſſione in Feſto Corpori
Chriſti.

Evangelium I. 10
Evangelium II. 11
Evangelium III. 11
Evangelium IV. 11
De Benedict. Mulieris poſt partum. 11
Exequiarum Ordo. 12
Ordo ſepeliendi Parvulos. 12
Ordo ad faciend. aquam benedict. 13
Benedictio Pulveris tormentarij. 13
Ordo Baptiſmi Parvulorum 14
De Sacramento extremæ Unctionis. 15

IN

INTENTIO
AD
Missam devotiùs & attentiùs legendam.

I.

QUia offertur Sanctissimo DEO Sacrificium.

II. Quia in persona Christi sanctissimi.

III. Quia pro peccatis tanquam propitiatorium.

IV. Quia nomine totius Ecclesiæ.

Cùm itur ad Sacristiam, cogitaripotest.

Die { Dominico, ad Dominum suum.
Lunæ, ad Judicem.
Martis, ad Redemptorem.
Mercurij, ad Magistrum.
Jovis, ad Pastorem.
Veneris, ad Patrem.
Sabbati, ad Sponsum.

ALIA INTENTIO.

I. Quia vocatur hoc Sacrificium holocauſtum, debet offerri in excellentem DEI cultum.

II. Quia eſt Euchariſticum, in gratiarum actionem.

III. Quia eſt Propitiatorium pro peccatis vivorum, & mortuorum ſatisfactionem.

IV. Quia eſt Impetratorium, pro impetratione bonorum, tum naturalium, tum ſpiritualium, tum ſupernaturalium toti Eccleſiæ, ſibi & privatis quibuſdam.

Beatiſſimæ Virginis Mariæ & omnium Sanctorum auxilium ante Miſſam poſtulandum.

ORATIO.

FIlium DEI & tuum Virgo, DEO Patri in Miſſæ ſacrificio quod celebrare intendo, oblaturus, ad te venio, ut per te ad me veniat illud, quod huic tam magno operi exercendo opus me vides habere: auxilium tuum poſtulo, huc te ille ardor excitet, quo cupis, ut

JE-

JESU Filij tui puritas purissimè contrectetur. O possem dum celebro tuam puritatem, cæterásque tuas virtutes à te mutuare! possem tuo ore, tuo corde verba dicere, quæ sum dicturus. Tuo pectore excipere tuum JESUM, adeò ut quidquid hic sum facturus, per te facerem; id cupio DEI Mater in DEI tui gloriam & in tuam. Vellem tuis labijs formulam quam promisi, ratam illam tuâ mente, tuis votis habere, ídque non semel, sed millies, sed infinities. Ut quod à nihilitate mea nihil est, à te aliquid esset, quæ in DEI oculis es tam magna. Sine me igitur Maria, ut sacra facturus, tota mente, toto affectu teipsam, & totus totus in te migrem. Post te imò etiam per te, tuóque nomine Sanctos omnes adeo, enixè eos precor, ut per sua merita, pérque ardens divinæ gloriæ desiderium, quo tenentur, obtineant mihi quidquid ad hoc munus dignè exercendum est. Omnes ea ratione, quâ possunt, in auxilium meum currant, ut dum ab omnibus ju-

vor, perfectius munus meum in altari obeam, quod in DEI & tui Virgo, omniúmque honorem & guſtum cedat, Amen.

Gregorius XIII. conceſſit cuilibet Sacerdoti infraſcriptam orationem dicenti 50. annorum indulgentiam.

EGo volo celebrare Miſſam, & conficere Corpus & ſanguinem Domini noſtri JESU Chriſti, juxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ, ad laudem omnipotentis DEI, totiúsque curiæ triumphantis, & ad utilitatem quoq; meam, totiúsque curiæ militantis, pro omnibus, qui ſe commendaverunt orationibus meis in genere & ſpecie pro felici ſtatu S. Rom. Eccleſiæ, Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpacium veræ pœnitentiæ, gratiam & conſolationem S. Spiritus tribuat nobis Omnipotens & miſericors Dominus, Amen.

Poſt Miſſam Oratio.

MAgna magni DEI Mater & Virgo Maria, per puritatem, ſanctita-

ritatem, dignitatémque tuam, per dona, quibus te DEUS tuus super omnes creaturas extulit, demississimè te oro & precor, ut pro me gratias DEO agas, cùm illis persolvendis omninò impar sim, benedic & lauda DEUM tuum, quòd me ad sacrum altare admiserit, dederítque, ut Sacrificium Corporis & sanguinis JESU Christi Filij sui simul & tui, licèt indignus offerrem in gratiarum actionem, tu exhibe tua, exhibe te, & tecum etiam meipsum, & illam ipsam gratiarum formulam, quam dixi, non secus, ac si à tuis esset purissimis labijs dicta, dictata tuo corde. Idem pro me præstent Sancti omnes, qui tecum in cælis regnant, & DEI visione beantur. Singuli pro dono, quo me DEus ad S. Altare cumulavit, offerant omnes gratiarum actiones, pro hoc, & quocunque alio beneficio, pietas, & devotio aut elicuit, aut eliciet, omnisq; hujusmodi actus alios omnes, omnium virtutum secumferat, infinities multiplicatos, Amen.

Alia Oratio post Missam.

PIissime DEUS meus, misericordia mea, remitte mihi indigno Sacerdoti, quòd ad celebranda sacratissimi altaris tui mysteria, accedere præsumpserim tam indignè & impudenter, quòd sanctissimum corpus tuum & sanguinem tractaverim, & sumpserim tam indevotè & irreverenter. Remitte mihi pijssime DEUS, quidquid in hac missa, tam in dicendis, quàm agendis transivi incautè & negligenter. Mi Domine DEUS, omnem indignitatem & impudentiam, omnem indevotionem & irreverentiam, omnem injuriam & negligentiam, omnem ingratitudinem & indecentiam meam, quam commisi circa hoc tuum venerabile Sacramentum, oro, dimitte mihi, pater misericordiarum, per tuam misericordiam in æternum, Amen.

Oratio Sacerdotum, pro Sacerdotibus.

O JESU Sacerdotum primum & purissimum exemplar, totius au-

thor

thor puritatis & castitatis, illius zelum, amorem, sollicitam curam imprime cordibus nostris: quandoquidem nobis opus sit corpus tuum virgineum tractare, & vinum germinans virgines consecrare ac sumere. Hanc nobis gratiam impertire, ut sincerè interius castitatem hanc adeò necessariam adamemus & colamus, ac bonum illius odorem exteriùs effundamus. Fac ut in omni opere, verbo, cogitatione, conversatione meminerimus nos unctos & consecratos DEO, tum animo, tum carne, ut sanctificemus Christum in cordibus nostris, & DEUM glorificemus in corporibus nostris, tanquam qui sancta sanctorum digni sumus intra nos quotidie recipere.

Ita Domine JESU, tu, qui omnis munditiæ es author, omnia munda, & virginea elegisti, mundam & virgineam matrem & nutricium, mundum præcursorem, ac dilectum discipulum virginem, mundâ & novâ sindone involvi voluisti, mundo in tumulo, in

quo nemo ante te, deponi. Qui ab his, qui mundo ſunt corde, vis videri, ab his, qui mundo ſunt corpore, poſſideri: da, ut miniſtri tui omnem fugiamus carnis animíque immunditiam, nec diffluamus deſiderijs, nec lenocinante voluptate corrumpamur, ſed ſimus tanquam apes caſtitatem corporis præferentes, ſuave mel in cogitationibus & delectationibus ſanctis conficientes, cibum vitæ ſpiritualis cum puritate exhibentes, aculeum legis erga impuros exercentes; ſimus puri ad ſanctificationem, ſimus ſeveri ad peccatorum ultionem, ſic tandem te ſequi poſſimus tanquam examina apum ſuum regem, tanquam inferiores miniſtri ſuum ſacerdotem in ſancta Sanctorum ingredientem, & tanquam pediſequi te agnum comitemus, quocunque ieris, ut cantemus canticum novum cum illis, qui empti ſunt de terra, nec cum mulieribus ſunt coinquinati.

DE

DE PRÆPARATIONE SACERDOTIS, ANTE EXORCISMUM.

ANtequam Sacerdos incipiat hoc Officium exorcizandi grandines, ſeu Tempeſtates à dæmonibus, ſive à quovis aliquo diabolico miniſtro excitatas; primam illam præparationem adhibere debet, ut fideliter, firmitérq; credat Myſteria ſanctiſſimæ Trinitatis, & JESU Chriſti, & omnia illa, quæ Catholica Eccleſia credenda proponit. Altera etiam Præparatio, maximè neceſſaria illa eſt, ut à ſeipſo diligenter quærat, num ſit aliquo crimine obſtrictus, cuius eum pœnitere neceſſe ſit, ne forte credens deſtruere atq; fugare tempeſtatem, aëreasq;, ac diabolicas Poteſtates; tempeſtatem ipſam pariter; atq; indignationem DEI, contaminatus ſuper nos inducat. Scrutetur igitur conſcientiam ſuam diligenter, ne in aliquo ſit mor-

tali peccato, ut prius contritionis, & si Sacerdotis facultas data sit, confessionis medicamento illud eluatur : quamvis enim Sacerdos, Potestate Sacerdotali, licèt indignus exorcizet in persona Ecclesiæ, ipse tamen exorcismus est efficacior, cum ipse Sacerdos mundus est à peccato : ille enim vim habet, & efficientiam ex parte Ecclesiæ, & ipsius Sacerdotis, qui amicus DEI factus, faciliùs ab eo in sua ipsius precatione exauditur. Hoc igitur optimè affecto, & præparato animo Sacerdos fide vivâ incensus, & Potentia DEI fretus, cuius virtute tempestates fugantur, & attentè infrascriptos exorcismos aggrediatur.

Cum primum videbitur tempus tempestuosum levari, Sacerdos cum superpelliceo, & Stola benedicat aquam, & Sal in hunc modum, & sic indutus exorcizet.

✠ In nomine Domini nostri JESU ✠ Christi. Adjutorium nostrum in nomine Domini. Qui fecit cœlum & terram.

Exor-

Exorciſmus Salis, & Aquæ.

EXorcizo te Creatura Salis, & Aquæ, in nomine Domini noſtri JE†SU Chriſti Nazareni, Filij Dei vivi, ut ſis purgatio, & purificatio, in his locis, in quibus aſperſa fueris ad effugandos immundos, & hæreticos ſpiritus, omnemque nefariam vim diaboli pellendam, & omnes figuras, & minas fantaſmatis ſathanæ exterminandas, & fulgura, & ſydera, quæ mitti videntur in domos, arbores, agros, poſſeſſiones, turres, vel quamcunque habitationem, ne hominibus, aut pecoribus, aut frugibus noceant, ſed abſcedant, & fugiant, per invocationem nominis Domini noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Et mox aſpergat aquam benedictam, contra tempeſtatem in modum Crucis.

Extendat manus ſuas in modum Crucis contra nubes, & dicat Pater noſter, Ave Maria, & Credo.

Litanias cum verſibus & orationibus vide infra in ordine Extremæ unctionis, quas genibus flexis recitare potes.

ADjutorium noſtrum in nomine Domini.

Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.

℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.

℟. Quemadmodum ſperavimus in te.

℣. Salvum fac populum tuum Domine.

℟. Et benedic hæreditati tuæ.

℣. Vox Domini ſuper aquas multas.

℟. Deus majeſtatis intonuit.

℣. Viderunt te aquæ Deus.

℟. Viderunt te aquæ, & timuerunt.

℣. Quid

℣. Quid eſt tibi mare, quod fugiſti?
℟. Et tu Jordanis quia converſus es retrorſum?
℣. Non privabis bonis eos, qui ambulant in innocentia.
℟. Domine Deus virtutum, beatus homo qui ſperat in te.
℣. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius.
℟. Et fugiant, qui oderunt eum à facie eius.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

A Domo tua quæſumus Domine ſpiritales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum. Per Dominum noſtrum, &c.

Deinde aſpergat aquam benedictam contra tempus tempeſtuoſum, & per quatuor latera in modum crucis, & ſæpè hoc faciat. De benedicta ſuperiùs.

Et quia, Agnus Dei, *habet virtutem contra tempeſtatem, exorcizans poteſt, imò debet uti, in eo ſignando ad ſingulas Cruces.*

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus parce metuentibus, & propitiare ſupplicantibus; ut poſt noxios ignes nubium, & vim procellarum in miſericordiam tranſeat laudis comminatio tempeſtatis.

Oremus. *Oratio.*

REx æterni imperij omnipotens Deus, qui das eſcam omni carni: & operis cœlum nubibus: & paras terræ pluviam; qui mandas nubibus deſuper, & januas cœli aperis: qui transfers auſtrum de cœlo, & inducis in virtute tua africum; qui rigas montes de ſuperioribus; & de fructibus operum tuorum ſatiatur terra; qui Angelo præcepiſti, ne terræ, mari, neq; arboribus noceret: Parce Domine metuentibus: & propitiare ſupplicantibus; te enim Domine ſupplices exoramus, ut procul abſcedat

dat incurſio turbinum, calamitas tempeſtatum, fragor grandinum; percuſſio fulminum, & quælibet inſidiæ inimici temperentur: infeſta tonitrua, & noxiæ pluviæ: ventorum flamina fiant moderatè ſuſpenſa: & omnis quoque ſpiritus procellarum, & aëreæ poteſtates dextera tuæ proſternantur virtutis. Deſcendat quæſumus Domine deſuper Spiritus ſanctus, & ſicut Samueli cornigerum agnum in holocauſtum tuum mactanti fragor aurarum tuarum repulit adverſantem, ita fugatis omnibus contrariæ poteſtatis virtutibus, fruges, mentes, & corpora fidelium manus ſervet Angelica, protectione ſuperna, & poſt ſopitos nubium impetus, in laudis, & devotionis, ac ſpiritualis amoris augmentum tranſeat comminatio tempeſtatis. Per Dominum noſtrum, &c.

ADjuro vos Angeli tartarei per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & per illam lanceam † adjuro vos, quà Dominus noſter JESUS Chriſtus fuit vulneratus in Cruce, & per illos

los clavos, qui membra Domini perforaverunt,& per illam aquam,& ſanguinem, qui de latere Chriſti effluxit , & per illam ſpineam coronam,quæ in capite Domini noſtri JESU Chriſti poſita fuit, & per ſanctam Reſurrectionem eius,& Aſcenſionem : per gratiam ſancti Spiritus † adjuro vos ſpiritus maligni, ut non habeatis virtutem, neque poteſtatem ſuper campos noſtros aliquid malefacere. † Adjuro vos maligni ſpiritus, per Patrem Domini noſtri JESU Chriſti,& omnes Sanctos eius. † Adjuro vos , per ſanctam Mariam Matrem Domini noſtri JESU Chriſti,& per ſanctum Michaëlem,& ſanctum Gabrielem,& ſanctum Raphaëlem. † Adjuro vos, & contradico vobis per iſtos Exorciſmos , ut non habeatis poteſtatem in nubibus cœli nobis nocere, neq; in iſta Provincia, ut non habeatis poteſtatem ſuper populum Chriſtianum fundere tempeſtatem. † Adjuro vos per ſanctum Petrum,& per ſanctum Paulum, qui ſuis orationibus dejecerunt

runt Simonem Magum, & per ſanctum Andream, & per ſanctum Joannem, & per ſanctum Bartholomæum: & per quatuor Evangeliſtas, ſanctum Matthæum, ſanctum Marcum, ſanctum Lucam, & ſanctum Joannem. † Vos adjuro per communionem, & ſocietatem ſanctorum Civium Chriſti, & per duodecim legiones Angelorum, & per viginti quatuor Seniores, & omnes Virtutes Angelorum, & per ſeptem Thronos, & per ſeptem candelabra Chriſti, & per ſeptem Donationes, & per ſeptiformem gratiam DEI, & per ſingula merita ſingulorum, & per Agnum Dei Immaculatum JESUM Chriſtum, cui eſt honor, & virtus, & per eos Angelos, qui ſtant in Paradiſo. † Adjuro vos per verum Deum vivum cœli: Deum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum; Deum Martyrum, Deum Confeſſorum, Deum Virginum, ut non habeatis potentiam, neq; virtutem in nubibus cœli nobis nocere, neque flagellare ſuper campos noſtros,

ſed

ſed in loca deſerta, ubi arans non arat, nec ſeminans ſeminat, Amen. † Amen. † Amen. †

Oratio.

DEUS, qui beatæ Brigittæ inimicos ſuperare conceſſiſti, præſta nobis famulis tuis, ut intercedentibus eius Oratione, atque meritis, ab omni Ira tempeſtatis liberari valeamus. Per Dominum noſtrum, &c. † Increatus Pater: † Increatus Filius: † Increatus Spiritus ſanctus: † Hagios: † Hagios: Ecce Cru†cem Domini; Fugite partes adverſæ. Vicit Leo de tribu Juda radix David: Alleluja, † Alleluja, † Alleluia, † Alleluja, † Dixit Dominus ex Baſan, Convertam, convertam in profundum maris: Domine Jeſu Chriſte, qui cœlum & terram fundaſti, & flumen Jordanis benedixiſti, & in eo baptizari voluiſti, bene†dicere, & ſancti†ficare pro tua pietate digneris has nubes, quas video ante me poſitas, ut deficiant, & transeant in aquam ſalutarem: aut tempeſtatem faciant in locis deſertis, & non noce-

noceant aliquibus perſonis domeſticis Chriſtianis; neque domeſticis animalibus, neque agris, neque fructibus virtute Spiritus ſancti, & oratione beatæ Brigittæ Virginis, & omnium Sanctorum, & Sanctarum † Dei, Amen. † In nomine Chriſti, Amen. † Emanuel, † Paraclitus, † Sabbaoth, † Iſchyros, † Athanatos. † In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spi†ritus ſancti, Amen.

EXORCISMUS.

ADjuro † vos Nubes, & Grandines, ſeu Tempeſtates, ac vobis præcipio per Deum Pa†trem, per Deum Fi†lium, & per Deum Spi†ritum ſanctum, qui ſunt in ſubſtantia unus Deus. Per Potentiam Patris, per Sapientiam Filij, per Amorem Spiritus ſancti, procedentis ab utroque, per ſacram Obedientiam JESU Chriſti, per ſacram Humilitatem Virginis Mariæ, Dominæ noſtræ; per Virtutes Apoſtolorum, per Paſſiones terribiles Martyrum Chriſti, per novem Choros Spirituum cœleſtium:

um: per fidelem,& sacram vitam Confessorum: per omnes sanctas mulieres, Famulas, & Martyres Christi; per omnes animas beatas cœli; per sacram obumbrationem, quam fecit virtus Altissimi beatæ Virgini Mariæ, Dominæ nostræ, per imperiale Verbum, quod fecit Christus ventis, ut cessarent; per divisionem mirabilem Maris rubri, quam fecit Potentia Divina populo Judaico; per omnia ista supra scripta. Adjuro,† & præcipio vobis ò Nubes, seu Grando, quòd in signo huius sacræ Cru†cis, quam contra vos facio, indivisæ, repentè recedatis à nobis, & ab hoc loco sine læsione alicuius hominis, sive locī, sive navis, sive terræ, aut evanescatis per aërem, Amen.

Iterum adjuro vos † grandines, & ventos per quinque vulnera Christi, per tres clavos, qui eius manus, & pedes perforarunt; ut in aquam resolutæ descendatis. In nomine Pa†tris, & Fi†lij & Spi†ritus sancti, Amen.

DEPRECATIONES DAVIDICÆ, *contra malignos ſpiritus.*

DOmine DEUS omnipotens, qui maximâ virtute, & Potentiâ tuâ rebelles Angelos inimicos tuos contra te ſuperbientes à cœlo expellens, ad infernum deputaſti, per eandem Potentiam,& Virtutem tuam te ſupplicamus, ut expellere digneris hos infeſtos dæmones à nubibus cœli, ne effundant tempeſtatem ſuper fructus terræ,nec in territorio noſtro.

Expelle igitur illos in Virtute tua, & tanquam vas figuli confringe eos.

Exurge Domine, & ſalva nos, & deſtrue omnes adverſantes nobis.

Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Quoniam non eſt in ore eorum Veritas, cor eorum vanum eſt.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant, judica illos Deus.

Decidant à cogitationibus ſuis ſecun-

cundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.

Erubeſcant igitur Domine DEUS meus, vehementer omnes iſti inimici tui, avertantur retrorſum, & erubeſcant valde velociter.

Exurge Domine Deus meus, & exaltetur manus tua, & ne obliviſcaris vocem meam.

Juſtum adjutorium meum à te, qui ſalvos facis ſperantes in te Domine.

Convertantur ij dæmones in infernum, & omnes, qui obliviſcantur te.

Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt, & dolo, ſub lingua eorum labor, & dolor.

Quia dilexerunt iniquitatem, & oderunt propriam ſalutem, ideò emitte ſuper illos ignem, ſulfur, & ſpiritus procellarum, quæ eſt pars calicis eorum.

Diſperde Domine omnes ſpiritus malignos ſuper nos malignantes.

Exurge Domine, ſubveni eum, & ſupplanta eum, & libera nos à fulgure, & tempeſtate.

E-

Emitte ſagittas tuas, & diſſipabis, & conturbabis inſidias eorum.

Perſequere Domine inimicos tuos iſtos, & comprehende eos, & non convertantur donec deficiant.

Confringe eos, nec poterunt ſtare, cadant ſubtus pedes meos.

Exurge Domine, & ſupplanta inſurgentes in ſervos tuos, & diſperge odientes te Domine.

Comminue eos, ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum dele eos.

Dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt, & diſperdat eos, ne noceant filiis hominum.

Pone eos, ut clibanum ignis in tempore vultus tui.

Domine, & in ira tua conturbabis eos, & devorabit eos ignis.

Confundantur iſti dæmones maligni, iniqua agentes ſupervacuè.

Dextera tua Domine facit virtutem, dexteram tuam erige adverſus hos inimicos tuos facientes iniquitatem.

Erubeſcant igitur iſti tui inimici, & deducantur in infernum, muta fiant labia doloſa.

Proiice eos à facie oculorum tuorum: retribue abundanter facientibus ſuperbiam.

Judica Domine nocentes nobis; expugna impugnantes nos.

Apprehende arma, & ſcutum: & exurge in adjutorium noſtrum.

Effunde frameam, & conclude adverſus hos dæmones malignos ſpiritus, qui nos perſequuntur, & libera nos Protector noſter Domine.

Confundantur, & avertantur retrorſum cogitantes nobis mala.

Fiant tanquam pulvis ante faciem venti: & Angeli tui coarctent illos.

Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angeli tui perſequantur, & deſtruant illos.

Veniat illis laqueus, quem ignorant, & caput, quod abſconderunt; & cadant in idipſum.

Et tu Domine exurge in adjutorium no-

noſtrum,& diſſipa eos Protector noſter Domine.

Induantur confuſione,& pudore,qui quærunt mala noſtra; Evagina gladium,& tende ſuper eos arcum iræ tuæ, & trucidabis eos, quia tunc conterentur, & confundentur in tempore malo; quemadmodum fumus deficient, & damnabis eos,cum judicaveris iſtos.

Exurge ergo quare obdormis Domine,exurge, & ne repellas preces noſtras in finem.

Exurge Domine adjuva nos, & defende nos, propter nomen ſanctum tuum.

Et dæmones, ac ſpiritus illos malignos conculca in inferno, & mors depaſcat eos.

Auxilium eorum veteraſcet in inferno, à gloria eorum.

Ignis in conſpectu eorum exardeſcet, & in circuitu eorum tempeſtas valida.

Nolite miſerrimi dæmones gloriari in malignitatibus veſtris, qui potentes eſtis in iniquum.

Dilexiſtis malitiam ſuper benigni-
tatem, iniquitatem, magis quam loqui
æquitatem.

Propterea Deus deſtruet vos in fi-
nem, evellet, & emigrabit vos de taber-
naculo ſuo, & radicem veſtram de ter-
ra viventium.

Præcipita eos Domine Deus in pro-
fundum, & veniat mors ſuper illos, &
deſcendant in infernum viventes.

Exurge Domine, & contere eorum
dentes in ore ipſorum, ut ad nihilum
deveniant.

Abſorbe eos in ira tua Domine: ex-
urge Deus Iſraël, & diſperge illos, & de-
pone eos, & potentiam eorum Protec-
tor noſter Domine.

Exurgat Deus, & diſſipentur inimici
eius, & fugiant, qui oderunt eum â faci-
eius.

Sicut deficit fumus, deficiant, ſicut
fluit cera à facie ignis, ſic pereant pec-
catores à facie Dei.

Veruntamen Deus confringet capi-

ta inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & trudantur in ignem æternum.

Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.

Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festin.

Confundantur & revereantur, & avertantur retrorsum, qui volunt nobis mala.

Avertantur statim, & erubescant, confundantur & deficiant, operiantur confusione, & pudore, qui malignantur in bonis nostris.

Facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.

Velut ſomnium ſurgentium Domine imaginem ipſorum ad nihilum rediges.

Quanta malignatus eſt inimicus in ſanctis tuis, incendit igne ſuæ malitiæ ſanctuarium tuum.

Ne avertas manum tuam, & dexteram tuam Deus meus, qui contribulaſti capita draconum in aquis.

Reſpice Domine in teſtamentum tuum, & bona noſtra ne obliviſcaris in finem.

Tu terribilis es : quis reſiſtit tibi? ex tunc ira tua.

Tentaverunt te Deus meus in cordibus ſuis, & malè locuti ſunt de te, ideò ira tua deſcendat ſuper eos.

Effunde iram tuam in iſtos dœmones, ac ſpiritus malignos, qui te cognoſcere nolunt, & in regnum eorum, quia nomen tuum non invocaverunt.

Excita potentiam tuam, & veni, ut ſalves nos, Deus virtutum convertere, reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eam, quam plantavit dextera tua.

Ex-

Exurge Deus meus, quoniam qui te oderunt, extulerunt caput, & ſuper nos malignantur.

Omnes Principes eorum dixerunt, hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei.

Deus meus pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.

Sicut ignis qui comburit ſylvam, & ſicut flamma comburens montes: ita perſequeris illos in furore tuo, & in ira conturbabis eos.

Erubeſcant, & conturbentur in ſæculum ſæculi, confundantur, & pereant.

Diſperge eos in furore tuo, & conturba eos, quia non poſuerunt te in conſpectu ſuo.

Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.

Diſperge omnes, qui operantur iniquitatem, & redde illis iniquitatem ipſorum.

Deficiant peccatores, & iniqui, ita

ut non ſint, ut omnes benedicant te Domine.

Da nobis Domine auxilium tuum, & in te faciemus virtutem.

Diſperge Domine omnes inimicos noſtros, qui tribulant nos.

Domine inclina cœlos tuos, & deſcende, tange dæmones iſtos, & diſſipabis eos.

Fulgura, & coruſcationes diſſipabis, & mitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.

Exeant ſpiritus maligni, & revertantur in infernum, & pereant omnes cogitationes eorum.

Dextera tua *D*omine percutiat inimicos, & in multitudine gloriæ tuæ depones adverſarios tuos.

Mitte *D*omine iram tuam, quæ deſtruat eos ſicut ſtipulam: ſubmerge eos quaſi plumbum in aquis vehementibus.

Irruat ſuper eos formido, & pavor in magnitudine brachij tui.

Et ſicut tu *D*eus meus es ille potentiſſimus qui feciſti potentiam in brachio

chio tuo, dispersisti superbos mente cordis sui.

Deposuisti potentes de sede, & exaltasti humiles.

Sic Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, libera nos à tempestate, & ab omni diabolica malignitate, & per Passionem, & Mortem Domini nostri JESU Christi.

Qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem, Amen.

EXORCISMUS

Contra Imminentem tempestatem fulgurum, & grandinis.

Quem dicunt GREGORIUM XIII. ordinasse

PEr signum Cru ✝ cis de inimicis ✝ nostris, libera nos ✝ Deus noster.

In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ ſancti, Amen. Credo in Deum. *dicitur totum. Deinde*
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Pater noſter. *totum.*
℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.
℣. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus.
℟. Et fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.
℣. Exurge Chriſte, adjuva nos.
℟. Et libera nos propter nomen tuum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, qui feciſti cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, quique flumini Jordani benedixiſti, atque in eo baptizari voluiſti,

luiſti, & tuas ſanctiſſimas manus, & brachia ſanctiſſima in Cruce ✠ extendiſti, quibus aërem ſanctificaſti, obſecramus immenſam pietatis, & bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, & poſt me, & ſupra me, à dextris, & ſiniſtris video aërem perturbare, diſſolvere, & annihilare, digneris, ut alligata poteſtas dæmonum impiè deſævientium deficiat, & turbetur ad laudem tui ſanctiſſimi nominis, & potentiſſimæ Majeſtatis tuæ. Qui vivis, &c.

Poſtea converſus ad nubes, ſignes eas ſigno Crucis dicens.

CIrcundet te nubes Deus Pater. ✠ Circundet te Deus Filius. ✠ Circundet te Dens Spiritus ✠ ſanctus. Deſtruat te Deus Pater. Deſtruat te Deus Filius. ✠ Deſtruat te Deus Spiritus ✠ ſanctus. Comprimat te Deus Pater. ✠ Comprimat te Deus Filius. ✠ Comprimat te Deus Spiritus ✠ ſanctus. Benedicat te Deus Pater. ✠ Benedicat te

*D*eus Filius. ✠ Benedicat te Deus Spiritus ✠ ſanctus. *D*ividat te *D*eus Pater. ✠ Dividat te *D*eus Filius. ✠ *D*ividat te *D*eus Spiritus ✠ ſanctus. Annihilet te *D*eus Pater. ✠ Annihilet te *D*eus Filius. ✠ Annihilet te *D*eus Spiritus ✠ ſanctus. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spi ✠ ritus ſancti, Amen.

Obſecratio.

SAnctus Matthæus, ſanctus Marcus, ſanctus Lucas, ſanctus Joannes Evangeliſta, qui Chriſti Evangelium, per quatuor mundi partes divulgaverunt; ipſis ſuis meritis, & precibus hanc tempeſtatem à termino iſto, & ab omnibus Chriſtianorum finibus ab eodem *D*omino noſtro JESU Chriſto obtineant effugari, & depelli.

Exorciſmus.

ET ego peccator, & Chriſti Sacerdos, ſeu Miniſter, licet indignus, auctoritate, & virtute ejuſdem *D*ei & *D*omini noſtri JESU Chriſti, ſummi Imperatoris, non mea potentia inni-

xus,

xus,& confiſus,vobis præcipio immundiſſimi ſpiritus, qui has nubes, ſeu nebulas concitatis, in virtute ejusdem *D*ei,& *D*omini noſtri Jeſu Chriſti, per ſanctiſſimam ejus Incarnationem, per ſanctam Nativitatem, per Baptiſmum, & Jejunium ipſius, per ejus ſacratiſſimam Crucem, ✠ & Paſſionem: per ſanctam Reſurrectionem, per admirabilem Aſcenſionem, per tremendum adventum ejus, & Judicium. Per merita Intemeratæ, ſemperq́; Virginis Mariæ, & ſanctiſſimi N. & per merita omnium Sanctorum, ut exeatis ab eis, & eas diſpergatis in locis ſylveſtribus, & incultis, quatenus nocere non poſſint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, aut quibuscunq; rebus humanis uſibus deputatis. Per eundem *D*ominum noſtrum JEſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Ipſe vobis imperat dæmones, qui has nubes commovetis, de quo, de nube lucida dictum; Hic eſt Filius meus dis

lectus, in quo mihi benè complacui. ✠ Ipſe vobis imperat, qui ſuâ ſacratiſſimâ cruce, & corporis ſui ſanctiſſimi in eâ extenſione aërem purgavit. ✠ Ipſe vobis imperat, qui per mortem ſuam, vos, principem veſtrum, mortémque devicit, & ligavit, átque æternæ gehennæ mancipavit ignibus. ✠ Ipſe vobis imperat, qui inferno ſpoliato, ſurrexit à mortuis. ✠ Ipſe vobis imperat, qui poſt quadraginta dies nube ſuſceptus, virtute ſuâ aſcendit in cælum. ✠ Ipſe vobis imperat, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Et poſtea oſtendat Crucem in aëre, dicens:

Ecce ſignum ſanctiſſimæ Crucis, fugite partes adverſæ, vicit enim vos, & mundum Dominus noſter JESUS Chriſtus Filius DEI, Imperator ſummus, Leo de Tribu Juda, Radix David.

Po-

Postea aquam benedictam in modum Cru†cis aspergat per quatuor latera, & si Litaniæ non sunt dictæ, possunt dici hic, si nondum quievit tempestas.

Symbolum S. Athanasij.

QUicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram, inviolatàmque servaverit; absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, ut unum DEUM in Trinitate; & Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas; neq; substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris; alia Filij, alia Spiritus sancti.

Sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti, una est Divinitas; æqualis gloria, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Im-

Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres æterni: ſed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immenſi; ſed unus increatus, & unus immenſus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus S.

Et tamen non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens.

Ita DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Dij, ſed unus eſt DEUS.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus.

Quia ſicut ſingillatim unamquamq; perſonam DEUM ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur,

ita

ita tres DEOS aut Dominos dicere, Catholica Religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus

Filius à Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergò Pater, non tres patres, unus Filius, non tres Filij, unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.

Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est: & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit.

Qui vult ergò salvus esse; ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri JESU Christi fideliter credat.

Est

Eſt ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noſter JESUS Chriſtus DEI Filius, DEUS & homo eſt.

DEUS eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & homo eſt ex Subſtantia Matris in ſæculo natus.

Perfectus DEUS, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Æqualis Patri ſecundùm divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem.

Qui licet DEUS ſit, & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in DEUM.

Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita DEUS & homo unus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis. Aſcen-

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram DEI Patris omnipotentis; inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmitérque crediderit, ſalvus eſſe non poterit. Gloria Patri, &c.

Hæc, & ſequens dicantur genibus flexis.

SAlve Regina, Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve. Ad te clamamus exules filij Evæ, ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eja ergò advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Et JESUM benedictum fructum ventris tui nobis

poſt

poſt hoc exilium oſtende, O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria.

Sub tuum præſidium confugimus S. DEI Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, & benedicta.

Canticum trium puerorum, dicitur cum ℣. Gloria Patri, *in fine cujuslibet* ℟. *ut ſequitur.*

BEne†dicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Bene†dicite Angeli Domini Domino, benedicite cœli Domino. Gloria Patri, &c.

Bene†dicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt Domino, bene†dicite omnes virtutes Domini Domino. Gloria Patri, &c.

Bene-

Benetdicite Sol, & Luna Domino: benetdicite ſtellæ cœli Domino. Gloria Patri, &c.

Benetdicite omnis imber, & ros Domino: benetdicite omnes Spiritus DEI Domino, Gloria Patri, &c.

Benetdicite ignis & æſtus Domino; benetdicite frigus, & æſtus Domino, Gloria Patri, &c.

Benetdicite rores, & pruina Domino: benetdicite gelu, & frigus Domino. Gloria Patri, &c.

Benetdicite glacies, & nives Domino; benetdicite noctes, & dies Domino. Gloria Patri, &c.

Benetdicite lux & tenebræ Domino; benetdicite vulgura, & nubes Domino. Gloria Patri, &c.

Benetdicat terra Dominum: laudet, & ſuperexaltet eum in ſæcula. Gloria Patri, &c.

Benetdicite montes, & colles Domino: benedicite univerſa germinantia in terra Domino. Gloria Patri, &c.

Benetdicite fontes Domino: benetdicite

†dicite maria, & flumina Domino. Gloria Patri, &c.

Bene†dicite cete, & omnia, quæ moventur in aquis Domino: bene†dicite omnes volucres cœli Domino. Gloria Patri, &c.

Bene†dicite omnes bestiæ, & pecora Domino: bene†dicite filij hominum Dominuo. Gloria Patri, &c.

Bene†dicat Israël Dominum, laudet, & superexaltet eum in sæcula. Gloria Patri, &c.

Bene†dicite Sacerdotes Domini Domino: bene†dicite servi Domini Domino. Gloria Patri, &c.

Bene†dicite spiritus, & animæ justorum Domino: benedicite Sancti & humiles corde Domino. Glor. Patri, &c.

Bene†dicite Anania, Azaria, Misaël Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula. Gloria Patri, &c.

Bene†dicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula. Gloria Patri, &c.

Bene.

Bene† dictus es Domine in firmamento cœli, & laudabilis & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula. Gloria Patri, &c.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum ſancto Spiritu,

℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

℣. Ora pro nobis S. DEI genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

℣. Exurgat DEUS, & diſſipentur inimici ejus.

℟. Et fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.

℣. Exurge Chriſte, adjuva nos,

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Irruat ſuper dæmones formido, & pavor,

℟. In magnitudine brachij tui.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum,

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Majeſtatis adorare unitatem: quæſumus, ut ejuſdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur adverſis.

PRotege Domine famulos tuos, ſubſidijs pacis, & Beatæ MARIÆ ſemper Virginis, patrocinijs confidentes, à cunctis hoſtibus, & periculis redde ſecuros.

ADomo tua quæſumus Domine ſpiritales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum.

AD te nos Domine clamantes exaudi, & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus, ut qui juſtè pro peccatis affligimur, miſericordiâ tuâ præveniente clementiam ſentiamus.

Lar-

LArgire & conſervare fructus terræ dignare Domine DEUS noſter, ut temporalibus gaudeamus auxilijs, & proficiamus ſpiritualibus increment s.

TRibulationem noſtram quæſumus Domine, propitius reſpice, & iram tuæ indignationis, quam juſtè meremur, averte. Per Dominum noſtrum' &c.

Poteſt etiam dici Oratio Sancti, vel Sanctæ, vel Sanctorum propriæ Eccleſiæ.

ALIUS EXORCISMUS EFFICACISSIMUS,

Contra ipſam imminentem tempeſtatem devotè dicendus, ex quodam veteri Opuſculo exaratus.

Primò

Primo dicat tres Antiphonas; Aſperges † me Domine, & Miſerere mei, &c.

Deinde ſequitur.

PAter † te confundat; Filius † te dividat; Spiritus ſanctus † te tranſeat. In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spi†ritus ſancti, Amen. Ecce Cru†cem Domini, fugite partes adverſæ, vicit Leo de Tribu Juda Radix *D*avid, Alleluja. Chriſtus † vincit, Chriſtus † regnat, Chriſtus † imperat, Chriſtus ab omni tempeſtate nos, & omnia bona noſtra defendat, Amen. Adjuro † te tempeſtas mala, per nomen *D*omini noſtri JESU Chriſti; & per nomina trium Regum, quorum ſunt Caſpar, Melchior, Balthaſar, qui *D*ominum in Bethlehem viſitare voluerunt, & obtulerunt Aurum, Thus, & Myrrham, tibi impero, ut procul fugias, & citò recedas à finibus noſtris, ne nocere valeas ullis finibus Chriſtianorum, Amen. Adjuro † te tempeſtas valida, per ſanctiſſima nomina JESU Chriſti. Adjuro †

te

te per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & per beatam Mariam Matrem ejuſdem *D*omini noſtri JESU Chriſti, & per Angelos, & per Archangelos, per Thronos, & *D*ominationes, & Poteſtates, per Cherubim, & Seraphim, Adjuro † te tempeſtas per ſeptuaginta duos diſcipulos *D*omini noſtri Jeſu Chriſti. Adjuro † te tempeſtas per omnia, quæ *D*eus fecit; & per virtutes cœlorum, & per ſeptuaginta nomina ejuſdem *D*omini noſtri JESU Chriſti Hebraicè, Græcè, & Latinè, quibus nuncupatur *D*eus. Adjuro † te tempeſtas per duodecim Apoſtolos *D*omini noſtri JESU Chriſti, & per tres Pàtriarchas, Abraham, Iſaac, & Jacob; & per quatuor Evangeliſtas *D*ei, Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem. Adjuro † te tempeſtas per Annuntiationem, & Incarnationem *D*omini noſtri JESU Chriſti. Per Nativitatem, per Circumciſionem, per Apparitionem, per Adventum, per Prædicationem, per Jejunium, Tentatio-

nem, per Transfigurationem, per Traditionem, Captionem, Colaphizationem, Flagellationem, Irriſionem, & Paſſionem ejus, per Crucem, & Clavos, per Lanceam, & Vulnera ſua, per mortem ejuſdem *D*omini noſtri JESU Chriſti, & per dolorem, & lachrymas, quas habuit Beatiſſima Virgo MARIA, Mater eiuſdem *D*omini noſtri JESU Chriſti, de Filio ſuo *D*omino noſtro JESU Chriſto, & per ſepulturam eius, & Reſurrectionem, & Aſcenſionem, per Spiritum Sanctum Paracletum *D*omini noſtri JESU Chriſti, ut procul fugias, & citò recedas à finibus noſtris. Adjuro † te tempeſtas per ſanctiſſimam Mortem JESU Chriſti, & per Crucem, in qua pependit pro nobis peccatoribus, Agios, Iſchyros, Athanatos. Adjuro † te tempeſtas per hæc nomina, Heloy, Heloy, Heloy, Alpha, & Omega; principium, & finis, Pax, Vita, Virtus, Salvator, Rex magnus, *D*eus Sabbaoth. Adjuro † te tempeſtas per ſanctos Monachos, & Heremitas, & per Vir-

Virgines, & per continentes, & per omnes Sanctos, & Sanctas *D*ei, & per omnes Miſſas, quæ ſunt cantatæ, & quæ ubiq; fuerunt cantatæ, & per eos omnes illos, qui eas cantaverunt, & per omnem poteſtatem *D*omini noſtri JESU Chriſti, & per omnia, quæ ad honorem *D*ei, & beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum dici poſſunt. Adjuro † te tempeſtas, ut non cadas in territorio noſtro, ſeu in finibus noſtris, nec in alio loco, ubi nocere poſſis Chriſtianis. Adjuro † te tempeſtas, per omnia ſupra dicta, ut non noceas, nec nocere poſſis animalibus, nec bonis noſtris, ſed cade in loco deſerto, ſeu eremo inhabitabili, vel in tali loco ut nemini noceas, Amen.

Oremus. *Oratio.*

DEus, qui beatæ Brigittæ Virgini tempeſtatem ſuperare conceſſiſti, da nobis famulis tuis intercedentibus, & rogantibus, ut per eius orat onem, atque merita, ab omni fulgure, &

tempeſtate, & periculo liberari valeamus. Per *D*ominum noſtrum,&c.

Increatus † Pater, Increatus † Filius, Increatus Spîritus † ſanctus.

Oratio.

DOmine JESU Chriſte, qui cœlum, & terram feciſti, & in flumine Jordanis baptizari voluiſti, benedicere, † ſanctificare digneris has nubes, quas video ante me poſitas, ut per virtutem, & poteſtatem tuam tranſeant, & defluant, & convertantur in aquam benedictam, & ſanctam, ut non noceant ullis finibus Chriſtianorũ, nec bonis, ac fructibus terræ, & per Paſſionem JESU Chriſti, & per orationem beatæ Brigittæ Virginis, vos adjuro. In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spi†ritus ſancti, Amen. Mentem ſanctam ſpontaneam, honorem *D*eo, & patriæ liberationem. Ecce Cru † cem *D*omini, fugite partes adverſæ, vicit Leo de tribu Juda, Radix *D*avid, Alleluja Sancta MARIA Mater *D*ei, & miſeri

cordi

cordiæ, ora pro nobis. Barbara nos Chriſti Virgo mitiſſima ſerva, & dæmonis hos laqueos digneris vitæ fugare. Jesus Nazarenus, Rex Judæorum, cuſtodi nos à morte peſſima, & à pœnis inferni, Amen.

℣. Salvum fac populum tuum Domine.

℟. Deus meus ſperantes in te.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, & miſericors, parce metuentibus, propitiare ſupplicantibus, da, & ut poſt noxios nubium, & procellarum ventos in materiam laudis tranſeat comminatio tempeſtatis.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in Potentia Majeſta-

tis adorare unitatem, quæſumus, & eiuſdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per *Dominum* noſtrum, &c.

Pſalmus 5.

VErba mea auribus percipe *Domine*; intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam.

Mane adſtabo tibi, & videbo; quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus, neq; permanebunt injuſti ante oculos tuos.

Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus, ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam, adorabo ad

ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in juſtitia tua propter inimicos meos, dirige in conſpectu tuo viam meam.

Quoniam non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant; judica illos Deus.

Decidant à cogitationibus ſuis ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos; quoniam irritaverunt te Domine.

Et lætentur omnes, qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices juſto.

Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorm, Amen.

Oratio.

ACtiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Dominum noſtrum, &c.

ADjuro † vos aëreas poteſtates, per Deum vivum, & verum Creatorem cœli, & terræ, per illum, qui firmavit aridam, & fundavit, cui non eſt Principium, neque Finis, cui omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, ut non habeatis poteſtatem in Parochia iſta, nec in terra aliqua, ubi nomen Domini invocatum ſit. Iterum adjuro † vos, per miram Potentiam Dei, & nobilitatem Creatoris omnium, qui diſponit omnia, & illa gubernat perpetuâ ratione, & per eius ſanctiſſima Nomina, per quæ Firmamentum volvitur, regitur cœlum, terra ponderatur, mare menſuratur, Otheos,

Otheos, Agla, Saday, Adonay, ut citò, & ſine mora recedatis, quicunque eſtis in aëre, ubicunque ſitis, ut cum fortuna in montibus arduis, & remotis recedatis. Iterum vos † adjuro per Angelos Domini fortes, & electos, Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, per Thronum Dei vivi, per triumphalem, & igneam facem, quæ exiit ab ore ſedentis ſuper Thronum, & Gloriam, & per largam Potentiam ſuam, & per illud ſanctiſſimum Corpus Chriſti, quod effertur in Miſſa, per ſanctiſſima Verba per Sacerdotem illic prolata, ut citò, & citiùs recedatis, ut credamus, & confiteamur, quia Jesus Chriſtus Filius Dei vivi omnipotens eſt, per obedientiam veſtram, quia Deus potens eſt, & ſuper potens, & non eſt alius Deus, præter Deum cœli; qui eſt trinus, & unus. Qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Recedite ergò vos mali ſpiritus obedientes omnibus verbis, quæ de Deo vivo, & vero dico, & nolite eſſe inobe-

dientes imperijs meis, quæ in honorem eius facio vobis, ſed date gloriam nomini eius, & in ſignum obedientiæ veſtræ, validiſſimæ potentiæ ſuæ furor in puteum ultionis vos intrudat. Iterum atque iterum adjuro † vos per quatuor Angelos, qui quatuor Angeli terræ conſtituti ſunt, quibus datum eſt nocere terræ, & mari, & omnibus arboribus; Voſmet ſi eſtis, adjuro † vos per omnia verba, & nomina prædicta, & per omnes Cives cæleſtes & per virtutem fortiſſimi, & virtuoſiſſimi nominis Domini noſtri Jesu Chriſti, quod eſt inter nos, ut citò recedatis ſine aliqua mora, nullum nocumentum inferentes in terra, ſed ite cum veſtra fortuna, ubi nullus habitat, niſi vos. Exaudite ergò exorciſmum, quem vobis facio, & nolite contemnere verba, quæ dicimus de Salvatore noſtro Deo vivo, & vero, qui veſter Deus eſt, & per nomen fortiſſimum, per quod reſurgant oſſa mortuorum, ut velociter recedatis, & ſitis obedientes verbis prædictis

dictis, per Virtutem, & potentiam Dei Omnipotentis, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. Item Adjuro † vos per nomina ſanctiſſimi *D*ei vivi, & veri, Alpha, & Omega, & alia nomina reverenda, ut non habeatis poteſtatem in bonis noſtris, quæcunque ſint, nec quibuſcunque aliis. Adjuro † vos per Poteſtatem *D*ei excelſi, & per diem tremendi Judicii, in quo vos judicabit JESUS Chriſtus, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & per illum, quem peperit Virgo Maria, & qui coram diſcipulis ſuis eſt elevatus in cœlum. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſæcula,

Oremus. *Oratio.*

DOmine JESU Chriſte oſtende virtutem, & miſericordiam tuam ſuper nos, & ſuper omnia bona noſtra, per quatuor Evangeliſtas, quos confortavit dextera tua. *D*EUS Abraham, *D*eus Iſaac, *D*eus Jacob, *D*eus

Moyſi, *D*eus Eliæ, *D*eus Tobiæ, *D*eus qui tres pueros de camino ignis ardentis liberaſti, *D*anielem de lacu leonum, Suſannam de falſo crimine, & Jonam de ventre Ceti, defende, & libera locum iſtum, & omnia bona huius Parochiæ, & aliorum locorum, ubi nomen *D*omini invocatur, ab omni fulgure, & tempeſtate; ut ſciamus, & cognoſcamus, quia tu es filius *D*ei vivi, qui in hunc mundum veniſti. Adjuro † vos omnes aëreas poteſtates, per beatiſſimam Virginem Mariam, & per beatos Apoſtolos, Petrum, & Paulum, & Andream, ut ſtatim hinc recedatis, & abeatis in locum deſertum. Adjuro † vos iterum per quatuor Evangeliſtas, S. Matthæum, S. Marcum, S. Lucam, & S. Joannem, & per mortem, & Reſurrectionem *D*omini noſtri JESU Chriſti, & per duodecim Apoſtolos.

In nomine ſanctæ, & individuæ
Trinitatis, Pa † tris, & Fil † ij
& Spi † ritus ſancti
Amen.

Ora-

Oratio.

DEUS DEUS meus respice in me, & miserere mei, ne perdas cum impiis animam meam, magnæ DEUS potentiæ, qui terram super aquas firmâsti, illumina quæso animam & intellectum meum, quia tu es DEUS excelsus super omnes Deos, & non est alius præter te Domine, qui solus dominaris potestatibus cæli, terræ, & abyssi, qui omnia in sapientiâ fecisti, qui es benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio.

DEUS cæli, DEUS terræ, DEUS universi conditor orbis, qui benedixisti terram tuam, benedic Domine nos, & locum, quem in honore tuo signamus, & tu Domine, qui illuminasti cæcos, illumina quæso mentem meam, & oculos meos, ut possim videre, & magnificare mirabilia tua. Magnæ DEUS potentiæ, cujus potestati cæteræ subjiciuntur potestates, & spiritus universi, tuum sanctum nomen invocamus. Adjuramus † vos omnes aëreas & diaboli-

bolicas poteſtates per Pa†trem, & Fi†lium, & Spiritum † ſanctum, ut non habeatis poteſtatem in iſta regione, nec etiam in aliis, ubi ſanctum DEI nomen adoratur, invocatur, & colitur, ſed eatis cum fortuna veſtra in montes arduos, & infæcundos, ubi nullus habitat, & ibi effundatis tempeſtates, ac furorem veſtrum.

Oratio.

DOmine JESU Chriſte Fili DEI benedicti, bene†dic, & defende univerſam terram noſtram ab hoſte maligno, tu, qui es glorioſus, & laudabilis in ſæcula. Iterum adjuro † vos aëreas & diabolicas poteſtates, ut non habeatis poteſtatem effundere tempeſtatem aliquam in bonis noſtris; per hæc ſanctiſſima nomina, DEUS, Rex, Lux, Emmanuel, Sabbaoth, Adonay, Tetragrammaton, Ovis, Hely, Heloy te benedicat, & ſanctificet. In nomine Pat†tris, & Fi†lij, & Spiritus † ſancti, Amen.

Ora-

Oratio.

DEUS refugium noſtrum, & virtus, adeſto pijs Eccleſiæ tuæ precibus author ipſe pietatis, & præſta, ut, quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per Dominum noſtrum, &c.

Oratio.

NE deſpicias omnipotens DEUS, populum tuum in afflictione clamantem; ſed propter gloriam nominis tui tribulatis ſuccurre placatus. Per *D*ominum noſtrum, &c.

ALIUS EXORCISMUS

Contra Tonitrua, Fulgura, & tempeſtates, habitus à quodam pio Sacerdote.

Primò dicatur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen. *Cum aſperſione aquæ benedictæ.*

DOmine JESU Chriſte, qui cœlum, & terram feciſti, mare, & omnia

omnia, construxisti, & flumen Jordanis benedixisti, in quo baptizatus fuisti. *D*ignare *D*omine benedicere, & sanctificare nubes istas, quas contra me video, ut deficiant, & effundant aquam benedictam, *D*omine JESU Christe, qui es defensor, & protector omnium Christianorum, qui salvos facis omnes sperantes in te, non derelinquas quærentes nomen tuum, qui ovem perditam in humeris tuis positam ad cælos reduxisti. Te invocamus Christe defensor noster, & pietatem tuam deprecamur, pro salvatione frugum terræ nostræ, & laboribus nostris, quos pro tua pietate nobis donare dignatus es, paritérq; nos omnes defendere digneris ab omni malitia tempestatum, & ab omnibus contrarijs virtutibus. *D*EUS invisibilis, & immortalis, *D*EUS Abraham, *D*EUS Isaac, *D*EUS Jacob, *D*EUS Angelorum, *D*EUS Archangelorum, *D*EUS Patriarcharum, *D*EUS Prophetarum, *D*EUS Apostolorum, *D*EUS Martyrum, *D*EUS Confessorum,

rum, DEUS Virginum, DEUS omnium Creator, & Salvator, te invocamus, quia pius es, & clemens, veni in auxilium noſtrum, & miſerere noſtri, DEus noſter, qui feciſti cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, cujus poteſtas in omnibus, & oculi tui omnia vident. Alliga quæſumus Domine omnem poteſtatem adverſariorum noſtrorum, & omnes malitias incantatorum, atque omnes incurſiones tenebrarum, per virtutem tuam magnam, & ſanctam, ut non prævaleant, neque nocere poſſint in laboribus ſervorum tuorum, qui in te confidunt, qui de magnâ miſericordiâ tuâ ſperant, neque ingrediantur in fines iſtos, neque in vineas iſtas, neque in arbores. Rogo vos ſancti Angeli DEI, Michaël, Gabriel, Raphael, & omnes ſancti Angeli, & Archangeli DEI, & Domini noſtri JESU Chriſti, vos invocamus, exite in adjutorium noſtrum. Et iterum adjuro vos angelos tenebrarum, & omnes incantatores, & incantationes malorum,

rum, & omnes ſathanæ miniſtros, qui coagulatis ventos, & imperatis, & tempeſtates emittitis, & laborem hominum tollitis. Adjuro vos per Pa†trem, & Fi†lium, & Spiritum † ſanctum, ut non noceatis in finibus noſtris; ſed revertite retrorſum, & ite in diverſos locos deſertos, ubi non aratur, nec ſeminatur, nec habitatio hominis eſt, nec eſſe poteſt, ibi diſcurrite. Adjuro vos per beatiſſimam Virginem Mariam DEI Genitricem, & per beatiſſimum præcurſorem, & martyrem Chriſti, Joannem Baptiſtam, & per Michaëlem Archangelum, qui principem veſtrum diabolum ſathanam expugnavit, & catenis igneis alligavit. Adjuro vos per tres Patriarchas, & viginti quatuor ſeniores, & per duodecim Apoſtolos, & per quatuor Evangeliſtas, & per omnes Martyres, & per omnes illos, qui DEO placuerunt ab initio mundi, & coronati ſunt ante eum, ut non mittatis lapides, & tempeſtates, nec fulgura, nec ullam coruſcationem in finibus noſtris,

ſtris. Sed veniat aqua ſine aliqua malitia, quam *D*ominus benedixit in flumine Jordanis, ubi ipſe baptizatus fuit, & inebriet terram, & eam faciat germinare. Ego autem vos adjuro in nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus † ſancti, Amen. Et per omnes virtutes cælorum, ut nullam dominationem habeatis in finibus noſtris, ne cùm veneritis ante tribunal *D*omini noſtri JESU Chriſti, dicatis mentientes, nos fuimus in tali patria, & nemo nobis contradixit. Ego autem vobis contradico, & adjuro omnes contrarietates veſtras, per *D*ominum noſtrum JESUM Chriſtum Creatorem omnium viſibilium, & inviſibilium, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, qui ambulat ſuper aſpidem, Baſiliſcum, & conculcabis leonem, & draconem, cui nomen ſanctum, terribile, & immortale, Adonay eſt, cui omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnes ei proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus *D*ominus

DEUS

DEUS Sabaoth, pleni ſunt cæli, & terra glorià ejus. Vos autem miniſtri ſathanæ, & tenebrarum, & omnes ſpiritus maleficorum convertite retrorſum, & diſcurrite in diverſis montibus, & locis deſertis, ubi nullus habitat, nec labor Chriſtianorum eſt, recedite, recedite, recedite, & confundamini omnes vos ſpiritus nequitiæ, quia DEus adiutor noſter eſt in æternum. Nos verò lætabimur in Domino DEO noſtro, & ei laudes dicemus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, Oſanna in excelſis.

PSALMUS.

LAudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes Virtutes eius.

Laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes ſtellæ, & lumen.

Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini.

Qui

Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.

Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit.

Laudate *Dominum* de terra: dracones, & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.

Montes, & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri.

Bestiæ, & universa pecora, serpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes judices terræ.

Juvenes, & virgines, senes cum junioribus laudent nomen *Domini*, quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio eius super cælum, & terram, & exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus Sanctis eius, filiis Israël populo appropinquanti sibi.

Cantate *Domino* canticum novum, Laus eius in Ecclesia Sanctorum.

Læ-

Lætetur Iſraël in eo, qui fecit eum, & filiæ Syon exultent in rege ſuo.

Laudent nomen eius in choro, in tympano & pſalterio pſallant ei.

Quia beneplacitum eſt *D*omino in populo ſuo, & exaltabit manſuetos in ſalutem.

Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exultationes *D*EI in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conſcriptum, gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius.

Laudate *D*ominum in Sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis

Laudate eum in virtutibus eius, laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis eius.

Lau-

Laudate eum in ſono tubæ, laudate eum in pſalterio, & cithara.

Laudate eum in tympano, & choro, laudate eum in chordis, & organo

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis, omnis ſpiritus laudet *Dominum*.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

PSALMUS

AFferte *Domino* Filij *DEI*, afferte *Domino* filios arietum.

Afferte *Domino* gloriam, & honorem, afferte *Domino* gloriam nomini eius, adorate *Dominum* in atrio ſancto eius.

Vox *Domini* ſuper aquas, *DEUS* maieſtatis intonuit, *Dominus* ſuper aquas multas.

Vox *Domini* in virtute, vox *Domini* in magnificentia.

Vox

Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros libani.

Et comminuet eas tanquam vitulum libani, & dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis deſertum, & commovebit Dominus deſertum cades.

Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condenſa, & in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit, & ſedebit Dominus Rex in æternum.

Dominus virtutē populo ſuo dabit, Domin⁹ benedicet populo ſuo in pace.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oratio.

DEUS, omnium tibi ſervientium refugium, & virtus, qui ipſos motus aëris ad cultum tuæ majeſtatis inſtituis, tranquillitatem nobis miſeri-

cordiæ

cordiæ tuæ largire, remotis terroribus, & cuius iram expavimus, clementiam sentiamus. Per Dominum nostrum, &c.

SEQVITVR

ALIVS EXORCISMUS GRANDINIS.

IN nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus † sancti, Amen.

Pater noster, &c. Sed libera nos à fulgure, & Tempestate, & ab omni malo, Amen.

Oremus. *Oratio.*

OMnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicantibus tibi † ut hos pernoxios imbres nubium, & vim procellarum, & comminationem tempestatis † in materiam tuæ laudis transire facias, Amen.

Pater noſter, &c. Sed libera nos ab hac tempeſtate, & grandine, & ab omni malo, Amen.

Adjuro vos aëreas tempeſtates per Deum vivum †, per Deum verum †, per Deum ſanctum †, ut non jactetis grandines, & tempeſtates in poſſeſſionibus, & finibus noſtris, & non dixeritis ante tribunal Chriſti, quòd nemo vobis contradixerit. Ego enim præcipio vobis; In nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † ſancti, ut non jactetis grandines, & tempeſtates in poſſeſſionibus & finibus noſtris. Sed eas projicite per fluvium, vel immergite in mari ſine damno alicuius perſonæ, Amen.

Poſtea dicatur Pſalmus.

LAuda Hieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.

Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.

Qui emittit eloquium ſuum terræ velociter currit ſermo eius.

Qui

Qui dat nivem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut bucellas, ante faciem frigoris eius, quis ſuſtinebit?

Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.

Qui annunciat verbum ſuum Jacob; juſtitias, & judicia ſua Iſraël.

Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.

Gloria Patri, &c.

Hæc Adjuratio ter devotè dicatur contra tempus tempeſtuoſum.

ALIUS
EXORCISMUS
Sive Adjuratio Tempeſtatis.

EGo Sacerdos quamvis indignus auctoritate Apoſtolicâ, qua fun[gor], & in nomine Domini noſtri JESU Chri-

Christi,& in virtute Passionis eius,præcipio vobis dæmones, cum omni societate vestra †, ut non habeatis potestatem in nubibus cœli,nec mittere Grandines †, Tonitrua †, atque † Fulgura, & omnia quæ mala sunt, & bona sua,& hoc præceptum sit vobis sub pœna gehennæ ignis. In nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † sancti, Amen.

ALIA
ADJURATIO.

O Domine Jesu Christe, qui cœlum & terram fundasti,& flumen Jordanis, & in eo flumine à Joanne baptizari voluisti, benedicere, † & sanctificare digneris has nubes, quas video ante me positas, ut transeant in aquam benedictam, & cadant, & emittant tempestates in locis desertis, ubi non noceant, nec nocere possint aliquibus

Chri

Chriſtianis, nec aliquibus animalibus, nec fructibus terræ, per virtutem omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, & per Chriſtum Dominum noſtrum.

Adjuro vos omnes ſpiritus maligni, per Creatorem cœli, & terræ, per Incarnationem eius, per Baptiſmum, per Jejunium, per Crucem, per Mortem, & Reſurrectionem eius. Et adjuro vos per glorioſiſſimam Virginem Mariam, Matrem Domini noſtri Jesu Chriſti, per Sanctos, Angelos, Archangelos, Prophetas, Apoſtolos, Evangeliſtas, Martyres, Confeſſores, Virgines, & per omnes Sanctos, & Sanctas Dei, & per quatuor Animalia, ante divinam Majeſtatem Gradientia, oculos ante, & retro habentia, & per illud nomen ſanctum Dei Tetragramaton. Adjuro vos ſpiritus maligni, umbræ, phantaſmata; & omnes adjuratores, & incantatores diabolicæ artis, per Thronum Dei, & per Divinam Majeſtatem, & ignem ante Thronum circumſtantem, & per virtutem Agni Dei Deum oran-

tis, & per omnes alias militias exercitus, & per illam obedientiam, quam Deo obſervare debetis, & per omnes Angelicas intelligentias, moventes, regentes, & inſpirantes, & influentes, atque gubernantes orbes cœlorum, ſeptem Planetarum, ac omnium ſtellarum creaturarum, quatuor Elementorum, quæ ſunt in mundo: & per celebrationes, Laudes, Sacrificia, quæ fiunt nunc, & per ea, quæ facta ſunt, & etiam in futurum fient, & per ſummum Creatorem omnium, & per laudem, & gloriam ipſius Dei Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † ſancti, Amen. Et per totius curiæ cœleſtis exercitus, quòd non deponatis iram veſtram, nec tempeſtates, nec ullas damnificationes ſupra locum noſtrum, ſeu territorium noſtrum, nec in confinibus dicti territorii. Sed in mari, vel in aquis, aut in locis ſylveſtribus longè degentibus à confinibus ſupradictis, fiat tempeſtas veſtra. Ne autem cum veneritis in die Judicii ante Tribunal Domini noſtri JESU Chriſti

sti dicatis, quod vobis nemo contradixit, quoniam ego vobis contradico. In nomine Pa † tris,& Fi † lii, & Spiritus † sancti, Amen. Et iterum vobis denuó contradico, & hoc instanter, & instantissimè, Adjuro, constringo, ligo,& exorcizo vos omnes spiritus malignos supradictos, & omnes contradictores, & incantatores diabolicæ artis, quòd statim, & immediatè, sine aliqua mora, & sine aliqua damnificatione, non damnificetis, nec damnificare faciatis, supra dictum territorium nostrum. Et ideò vobis præcipio auctoritate supra allegata, & per potestatem, quam habeo super vos; mihi traditam in Baptismo, & in aliis Sacramentis, ut citò, & sine aliqua mora, hinc recedatis,& eatis in diversos montes, & locos desertos ubi non aratur, nec seminatur, nec ulla habitatio est, & ibi malitiam vestram exercete, & ibi vestras tempestates dejicite. Et etiam vobis præcipio auctoritate superius allegatâ, nisi posueritis in effectum pe-

titionem meam, prædictâ Adjuratione, & Comminatione in ſupradictos, & per virtutem omnium Sanctorum, ac Sanctarum Dei, vos omnes ſpiritus malignos, ligo, & conſtringo in profundum maris, & abyſſi, & in ſtagnum ignis, & ſulfuris, & hoc per tremendum diem Judicii, & per virtutem omnium ſupradictorum, Amen. Et etiam per Crucem Domini noſtri JESU Chriſti fugite, fugite, in partes diverſas, nam vicit Leo de Tribu Juda, Radix David, Alleluja, Alleluja, Alleluja, fiat, fiat, Amen.

ADjuro vos Angeli tartarei per Pa✠trem, & Fi✠lium, & Spiritum ✠ ſanctum, & per illam Lanceam adjuro vos, qua Dominus noſter JESUS Chriſtus fuit lanceatus in Cruce, & per illos Clavos, qui membra Domini perforaverunt, & per illam aquam, & ſanguinem, qui de latere Domini noſtri JESU Chriſti proceſſerunt, & per illam ſpineam Coronam, quæ in capite Domini noſtri JESU Chriſti poſita fuit,

fuit, & per ſanctam Reſurrectionem eius, & per gratiam Spiritus ſancti. Adjuro vos ſpiritus malignos, ut non habeatis virtutem, neque poteſtatem ſuper campos noſtros aliquid mali facere. Adjuro † vos maligni ſpiritus, per Patrem Domini noſtri JESU Chriſti, & per omnes Sanctos eius. Adjuro vos per ſanctam Mariam Matrem Domini noſtri JESU Chriſti, per ſanctum Michaëlem Archangelum, & per ſanctum Gabrielem, & ſanctum Raphaëlem, & Seraphinos, Adjuro † vos & contradico vobis per iſtas Adjurationes, ut non habeatis poteſtatem ſuper hunc populum Chriſtianum fundere tempeſtatem. Adjuro ✝ vos per ſanctum Petrum, & per ſanctum Paulum, qui ſuis orationibus dejecerunt Simonem Magum,, & per ſanctum Andream, & ſanctum Joannem, & per ſanctum Bartholomæum, & per quatuor Evangeliſtas, ſanctum Matthæum, S. Marcum, S. Lucam, S. Joannem. Vos adjuro ✝ per Communionem, & Societatem

Sanctorum Civium Chriſti, & per duodecim legiones Angelorum, & per viginti quatuor Seniores, & per omnes Virtutes cœlorum, & per ſeptem Thronos, & per ſeptem Candelabra Chriſti, & per ſeptem Donationes, & per ſingula ſingulorum, & per Agnum DEI immaculatum JESUM Chriſtum, cui eſt honor, & virtus, & per omnes Angelos, qui ſtant in Paradiſo. Adjuro ✝ vos per Deum vivum cœli, Deum Angelorum, Deum Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum, Deum Martyrum, Deum Confeſſorum, Deum Virginum; ut non habeatis poteſtatem, neque virtutem in nubibus cœli nobis nocere, neque flagellare ſuper campos noſtros, ſed ite ad loca deſerta, ubi non aratur, nec ſeminatur, nec nomen Domini noſtri JESU Chriſti invocatur, Amen.

Pro Gratiarum actione, pro Victoria contra tempus tempeſtuoſum.

Te Deum laudamus, &c.

℣. Be-

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS, cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus: piissimæ Majestatis tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas. Per Dominum nostrum, &c.

ALII EXORCISMI

Contra Tempestatem.

IN nomine Domini nostri JESU ✠ Christi, Amen. Qui cœlum, & ter-

ram feciſti, maria, & flumina, & flumen Jordanis benedixiſti, & in ipſo flumine baptizari voluiſti. Dignare Domine per tuam humilitatem bene†dicere, & ſancti†ficare has nubes, quás video ante me poſitas. Et adjuro te tempeſtas, per Pa†trem, & Fi†lium, & Spiritum †ſanctum, & per ſanctam Mariam, Matrem Domini noſtri JESU Chriſti, & per Deum verum, & unicum ſanctum, & per quatuor Evangeliſtas, videlicet, Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, & per centum quadraginta quatuor millia Innocentes, qui pro Chriſti nomine paſſi ſunt, & per viginti quatuor Seniores, qui quotidie non ceſſant laudare Deum in cœlo, & per univerſas Poteſtates, quæ in cœlo, & in terra ei aſſiſtunt, & per omnes Apoſtolos Dei, & per tremendum diem Judicii; & per omnes Martyres, qui obdormierunt in Chriſto, & vivunt in æternum, & per omnes Sanctos, & Sanctas DEI. Adjuro † te tempeſtas, ut non habeas poteſtatem in iſtud terri-

ritorium, in campos, nec in vineas, quæ ſunt ad uſum hominum cadere, nec aliud nocumentum facere, in die, vel in nocte, & hoc per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus. *Oratio.*

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui Michaëlem Archangelum miſiſti, ut Jordanis flumen cuſtodiret, ne diabolus haberet poteſtatem in eo, præſta quæſumus nobis famulis tuis, ut interceſſione ipſius B. Michaëlis, & meritis ab omni fulgure, & tempeſtate liberemur, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen. Adjuro vos omnes inimici, viſibiles, & inviſibiles, per ſanctum Michaëlem Archangelum, qui cum dracone pugnavit, & habuit victoriam; adjuro inquam, ut non habeatis poteſtatem nocendi in iſta patria, ubi ſum, laboro, & laborare facio, ſed ite ad locum deſertum, ubi nullus ſit labor, nec exercetur, per ſignum S. Crucis, quæ eſt reparatio rerum noſtrarum, Alleluia.

Et

Et sic etiam adjuro † vos dæmones infernales, per tres Patriarchas, scilicet Abraham, Isaac, & Jacob, ut citò exeatis de terminis, & confinibus nostris, exite, exite, ne moremini, sed festinate, festinate, & ite ad loca deserta, & arida, & in montibus excelsis, & ibi sint termini vestri, ibi tempestas vestra sit demersa, ubi gallus non cantat, nec arator arat, nec seminator seminat, nec ullus labor fit, nec est; iterum ego vos adjuro † per virtutes cælorum, & per novem Ordines Angelorum, & per S. Mariam Matrem Domini nostri JESU Christi, & per ejusdem Domini Nativitatem, Passionem, Resurrectionem, ut vos non habeatis potestatem nocendi in ista patria, ubi sum, laboro, & laborare facio, sed ite ad locum desertum, ubi nullus fit labor, nec est, per DEum † verum, per DEUM † vivum, per DEum † sanctum, & per signum sanctæ Cru†cis, quæ est reparatio, & custos omnium nostrorum laborum, Amen.

℣. Do-

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. *Oratio.*

DEUS, qui excelso throno judicas orbem terrarum, quem sustinuit Verbum tuum, libera nos famulos tuos ab omni mala tempestate, quia in tuâ misericordiâ confidimus, tu nobis Domine dona mentem sanctam, perfectam, & abundantiam rerum nostrarum tribuere digneris. Per Christum Dominum nostrum.

PSALMUS 69.

DEUS in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur, & revereantur, qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te; & dicant semper: magni-

gnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus, & pauper ſum, DEus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu, Domine ne moreris.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Adjuro † vos Angelos tartareos, per veram Trinitatem, & unam Deitatem, & per ipſum Filium D E I. Adjuro † vos, qui cæcos illuminavit, & paraliticos curavit, & per ipſum vos adjuro † qui in ſepulchro jacuit, & tertia die reſurrexit à mortuis, per ipſum vos † adjuro, qui dæmones effugavit, & mortuos ſuſcitavit, per ipſum vos † adjuro, qui claves inferni dirupit, & Adam de inferno liberavit, per ipſum vos † adjuro, qui poſt reſurrectionem ſuam quadraginta diebus ſuis diſcipulis apparuit, & illis videntibus elevatus eſt in cælum, ut non habeatis poteſtatem ſuper patriam noſtram mittere tempeſtates, nec ſuper arbores, neque ſuper vineas, neque ſuper

per meſſes. Ecce Cruꝛcem Domini noſtri JESU Chriſti, fugite, & diſcedite à nobis. Nam vicit Leo de tribu Juda, radix David, Alleluia. Chriſtus ꝛ regnat, Angelus ꝛ nunciat, Joannes prædicat, Amen. Iterum adjuro ꝛ vos dæmones infernales per ſanctum Bernardum, & per ſanctum Antonium Abbatem, per ſanctam Brigittam Virginem, per ſanctam Barbaram, & per omnes Sanctos, & Sanctas DEI, ut non habeatis poteſtatem in noſtra patria mittere tempeſtatem, nec malas incurſiones, ubi habemus noſtras meſſes, hortos, prata, arbores, & vineas, ſed ite ad locum deſertum, ubi nullus laborat, nec eſt, per ſignum ſanctæ Cruꝛcis, quæ eſt reparatio, & cuſtos omnium rerum noſtrarum, fugite, & hinc diſcedite vos ſpiritus maligni, in virtute nominis JESU ꝛ Chriſti, quos B. Birgitta ſuperavit. (*Dicatur oratio B. Brigittæ, ut ſupra.*)

Altus, glorioſus, & ſublimis Titulus triumphalis JESUS Nazarenus, Rex Ju-

Judæorum, defendat nos ab hac maligna tempeſtate. Sancte † DEus, ſancte fortis, † ſancte immortalis, † miſerere nobis; Ecce Cruſcem Domini noſtri JESU Chriſti, fugite, & diſcedite hinc, nam vicit Leo de Tribu Juda, radix David, Alleluia.

PSALMUS 53.

DEus in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tua libera me.

DEus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni inſurrexerunt adverſum me, & fortes quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt DEum ante conſpectum ſuum.

Ecce enim DEus adjuvat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

Averte mala inimicis meis, & in veritate tua diſperde illos.

Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti

puisti me, & super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. Sicut erat in principio, &c.

ALIUS EXORCISMUS.

ALpha, & Omega, Principium, & Finis, Pater universalis, & Verbum Patris, Creator cæli, & terræ, maris, & omnium, quæ in eis sunt. † Dignare Domine per misericordiam, & clementiam tuam concedere mihi ministro tuo, quamvis indigno, ut possim in nomine tuo JESU † Christe viriliter, potentialiter, & catholicè adjurare, & expellere hoc tempus tempestuosum, quod ante, & supra me video, & non video, ut citò recedat à nobis, & non valeat nobis nocere, nec bonis nostris. O Adonay † & Thetragrammaton, summa omnipotentia, vera DEI Sapientia † Virtus Spiritus S. Creator noster est Defensor, & Conservator,

vator, & ab his malis temporibus liberator. O Domine JESU Chriſte, Rex altiſſime, † qui pro nobis dignatus es naſci ex Maria Virgine, dignare nos ab omni ſorde peccati, & infidelitatis liberare, † ut gratia tua in nobis contra inimicos noſtros viſibiles, & inviſibiles poſſit habitare. O Domine JESU Chriſte, memento adventus tui ſuper nos, & miſerationum tuarum. † O Domine JEſu Chriſte, memento, quia creaturæ tuæ ſumus factæ ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, in quantum ad animam, & plaſmaſti nos, & pro nobis fuiſti flagellatus, conſputus, coronatus, conclavatus, lanceatus, & mortuus, & mors tua fuit deſtructio mortis æternæ, ita ſit deſtructio peccatorum, & flagellorum noſtrorum, fulgurum † terræmotuum, † tonitruum, ſagittarum, grandinum, inundantiarum aquarum, & ſterilitatum, † & per hoc divinum Myſterium. Ego tanquam miniſter, & JEſu Chriſti fidelis † authoritate ipſius, & S. Matris Eccleſiæ, qua fungor,

gor, adjuro † vos dæmones, & ſpiritus immundos, & ventos coagulationum: cum omnibus tempeſtatibus, & flagellis, & iniquitatibus veſtris, ut citò recedatis à nubibus cæli, & à bonis omnium hominum, & præſertim à finibus, & confinibus noſtris. Iterum in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, & ſanctæ Matris Eccleſiæ, & divinorum præceptorum. Adjuro † vos dæmones, cum omnibus iniquitatibus, & maleficiis veſtris, † ne hanc DEI patriam omninò contingere præſumatis, quod cùm factum fuerit, ad eam non audeatis accedere. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, † Amen. Et per Cru†cis hoc ſignum, fugiat procul omne malignum, & per idem ſignum ſalvetur quodcunque benignum, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Ecc Cru†cem Domini noſtri JEſu Chriſti, fugite, & ſtatim diſcedite hinc maligni ſpiritus, nam vicit Leo de Tribu Juda, Radix David, Alleluia, Alleluia.

℣. Do-

℣. Domine exaudi orationem meam;
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. *Oratio.*

VIſita quæſumus Domine JESU Chriſte terram noſtram, totum territorium iſtud, & omnes inſidias inimicorum ab ea longè repelle, & Angeli tui ſancti in eis habitent, qui nos in pace cuſtodiant, & tua ſancta benedictio ſit ſuper nos, & ſuper territorium noſtrum. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

ALIUS EXORCISMUS

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus ✠ ſancti, Amen.

PSALMUS 42.

JUdica me DEus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta, ab homine iniquo, & doloſo erue me.

Quia tu es DEus fortitudo mea, quare me repuliſti, & quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus.

Emit-

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

Et introibo ad altare DEI, ad DEum qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara DEUS, DEus meus, quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in DEO, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & DEus meus.

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. *Oratio.*

OMnipotens sempiterne DEUS, qui de nihilo cuncta fecisti, obsecro te per tuam sanctam misericordiam, ut exaudire digneris infrascriptam orationem commutando semper meas preces in tuam voluntatem. Per Christum Dominum nostrum.

DOmine JEsu Christe, qui fecisti cœlum, & terram, mare, & omnia,

mnia, quæ in eis ſunt, conſtituiſti flumen Jordanis, in quo baptizatus es, & eum benedixiſti, † Alpha, & Omega, † Domine JEſu Chriſte' bene†dícere, & ſancti†ficare digneris nubes iſtas, quas ante me video, ut in nomine tuo benedicto, in aquam benedictam mutentur. O Adonay Domine JESU Chriſte, qui es Defenſor, & Protector omnium Chriſtianorum, qui ſalvos facis omnes ſperantes in te, qui ovem perditam in humeris ad cœlum reduxiſti, te invoco, qui es pius, & clemens, ac Defenſor noſter, & pietatem tuam deprecor pro ſalvatione noſtra, & frugum, ac fructuum terrarum noſtrarum, ac etiam pro laboribus noſtris, quos tua pietate nobis donare dignatus es, pariterque nos omnipotens Deus, defendere digneris ab omni malitia tempeſtatum, & ab omnibus contrariis virtutibus. DEUS incomprehenſibilis, inviſibilis & immortalis.

Deus Abraham, ✠ Deus Iſaac, ✠ Deus Jacob, ✠ Deus Angelorum ✠

DEus

Deus Patriarcharum, & Prophetarum, ✠ Deus Apostolorum, & Martyrum, ✠ Deus Confessorum, & Virginum, ✠ Deus omnium Electorum, & Deus omnium creaturarum, te invoco, qui es pius, & clemens. Veni Domine fortissime *D*eus, ✠ veni qui fecisti cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, cuius Potestas in omnibus, & cuius oculi omnia alligant, fortissime, ✠ fortissime ✠ Deus noster, comprime, & destrue omnes potestates adversariorum spirituum malignorum, & omnes malitias, & congregationes serpentum, & cæterarum bestiarum cuiuscunq; generis sunt, atque omnes incursiones tenebrarum, per tuam magnam virtutem, ut non valeant nocere nobis servis tuis, neque in finibus servorum tuorum, qui in te confidunt, & de magna misericordiæ tuæ sperant, & non valeant nocere in finibus nostris, nec in isto territorio nostro, neque in vineis, neque arboribus, neque in segetibus,

neque in animalibus, neque in quibuscunque cæteris rebus. ✠ Rogo vos Archangelos Dei Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, & omnes Dei Angelos, venite in adjutorium noſtrum, obſecro vos in virtute Dei fortiſſimi, omnes beatiſſimi Spiritus occurrite, & ſuccurrite, ne nobis maligni ſpiritus noceant.

Adjuro ✠ vos Angelos tenebrarum, & omnes incantatores, & omnes miniſtros ſathanæ, qui dæmones invocatis, ventos coagulatis, & aërem commovetis, & tempeſtates emittitis, labores hominum tollitis, & neceſſaria deſtruitis. Adjuro ✠ vos, & præcipio vobis in virtute Paſſionis Domini noſtri JESU Chriſti, ut non mittatis grandines in omnibus finibus noſtris, nec infra fines noſtros; Per Patrem, ✠ per Filium, ✠ & per Spiritum ✠ ſanctum. Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, ſit nobis in adjutorium noſtrum, contra omnes inſidias diaboli,

boli, videlicet, Tempeſtates, Fulgura, Tonitrua, & contra omnia mala, quæ maligni ſpiritus immittere poſſunt, vel etiam procurare. Emmanuel, ✠ Deus homo JESUS Chriſtus, ✠ per iſta benedicta nomina, & per ſignum ſanctæ Cru ✠ cis. Adjuro ✠ vos ſpiritus maledictos, ut nobis non noceatis, nec aliquod damnum inferatis; ſed revertimini retrorſum, & ite in loca arida, & deſerta, & ſolitaria, ubi non aratur, nec ſeminatur, nec fructus naſcuntur, nec habitatio hominum eſt, nec eſſe poteſt, & ibi malitiam veſtram exercete. Iterum adjuro ✠ vos maledicti ſpiritus, per benedictum Michaëlem Archangelum, qui Patrem, & Magiſtrum veſtrum ſathanam maledictum expugnavit, & in profundum inferni demerſit, & in igne perpetuo incluſit, ipſumque igneis catenis alligavit. Adjuro ✠ vos per viginti quatuor Seniores, & tres Patriarchas, per duodecim Apoſtolos, per quatuor Evangeliſtas,

per omnes Martyres, Confeſſores, Virgines, & omnes Sanctos, qui Divinæ, & ineffabili Trinitati, quæ eſt Pater ✠, Filius ✠, Spiritus ſanctus, ab initio mundi placuerunt, & in æterna gloria coronari meruerunt, quam vos propter veſtram ſuperbiam perdidiſtis. Adjuro ✠ vos, ut non mittatis grandines, lapides, coruſcationes, vel quævis alia contraria in ſegetibus noſtris, nec in finibus noſtris; ſed veniat nobis de cœlo aqua pluvialis, dulcis, & utilis tanquam aqua Jordanis, quam Dominus noſter Jesus Chriſtus benedixit, & in ea aqua baptizatus eſt, quæ inebriet terram, & faciat eam ſalubriter germinare. Adhuc iterum vos adjuro ✠ maledicti ſpiritus, per omnes cœlos, ut abſque damno, & alicuius rei detrimento, à ſegetibus, & à noſtris confinibus recedatis, ne fortè cum veneritis ante Tribunal Domini noſtri Jesu Chriſti, ad excuſandas excuſationes in peccatis, dicatis, nos circuimus,

& perambulavimus terram, & nemo nobis contradixit; quoniam ego vobis contradico, & adjuro ✠ omnes veſtras contrarietates per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum ✠ Creatorem omnium, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, eſt Alpha, ✠ & Omega, ✠ Principium, & Finis omnis creaturæ Dei, cuius incomprehenſibilia ſunt Judicia eius, & inveſtigabiles viæ eius, qui ſuper Aſpidem, & Baſiliſcum ambulavit, & conculcavit Leonem, & Draconem, cui nomen ſanctum Adonay, terribile, & immortale, & cui omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Etenim omnes proclamant Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth, pleni ſunt cœli, & terra gloria eius, Oſanna in excelſis. Adjuro ✠ vos miniſtratores tenebrarum, & omnes ſpiritus maleficorum, convertite vos retrorſum, & evadite in montibus, & locis deſertis, ubi Chriſtianorum nullus eſt labor, neque ſu-

dor, abite, & erubeſcite, confitentes, quod Dominus JESUS Chriſtus noſtrum eſt refugium, & virtus, ipſe eſt adjutor noſter, & Protector in opportunitatibus, & in tribulatione. Cui Gloria, Laus, & Imperium per infinita ſæcula ſæculorum, Amen. Deo gratias.

Deinde verſus nubes noxias aſpergat aquam benedictam, ut in principio, in modum Crucis, & dicat.

BEnedictio Dei Pa ✠ tris omnipotentis, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ ſancti, deſcendat ſuper has nubes, & omnem vim inimici ab eis repellere dignetur, Amen.

ALIUS BREVIS

EXORCISMUS

In primis dicatur; Confiteor Deo, &c. *totum.*

OVos omnes Sancti, & Sanctæ Dei, adeſtote: & advertite, & venite a

ad benedicendum, & sanctificandum has nubes, ut transeant in aquam benedictam, & quod spiritus maligni, qui volunt tempestate, & levare decimas, & primitias, & fruges, expellantur de tota Patria nostra. Sed vadant ad mare, vel ad locum desertum, ubi nullus sit labor, & per hoc signum Cru ✝ cis, fugite vos dæmones, In nomine Pa ✝ tris, & Filii, & Spiritus ✝ sancti Amen.

ALIVS EXORCISMVS

Exaratus ex quorundam Opusculo.

ADjuro, vos dæmones, per sancta, & reverenda nomina DEI Agyos † Otheos † Ischyros † Athanatos, † per confessionem S. Petri, Principis Apostolorum, per supplicationes, & persecutiones Sanctorum, per humilitatem, & contritionem peregrino-

rum, per pœnitentiam Adam, per ſacrificium Abel, per manſuetudinem Iſaac, per caſtitatem Joſeph, & per bonitatem Joſaphat, per obedientiam Noë, per fidem, & obedientiam Abrahæ, per oblationem Iſaac, quem liberavit *D*ominus per Angelum ſuũ, per orationem Saræ, per religionem Melchiſedech, & Aaron, per peregrinationem Jacob & per patientiã Iob, per manſuetudinem Moyſis, per devotionem Tobiæ, per Pſalmos *D*avid, per planctum, & amorem eorum, qui nunquam dormiunt, laudantes, & benedicentes *D*eum in cœlo, per claritatem, & lucem inacceſſibilem *D*ivinitatis, & per revelationem Evangelii Evangeliſtis factam, & voces Angelorum, per eum, quem vidit Moyſes, per ſplendorem æterni luminis, per ſermones, & prædicationes Apoſtolorum, per fortitudinem Martyrum, per fidem Confeſſorum, per Annuntiationem, Conceptionem, Nativitatem, & Baptiſmum *D*omini noſtri JESU Chriſti, per Crucem,

cem, Paſſionem, & Mortem eius, per eum, qui duobus piſcibus, & quinque panibus ſatiavit quinque míllia hominum in deſerto, per eum, qui ſuper aquas pedibus ambulavit, per Choros Angelorum, qui cum Chriſto JESU in cœlum aſcenderunt, per jejunium Apoſtolorum, per Spiritum ſanctum, qui ſuper eos venit, & per omnes timentes *D*eum, & per eum, qui omnia creavit, confudit, & præcipitavit vos dæmones, & ſpiritus malignos, in profundum inferni ad ignem ſempiternum deſtinatos, vos dico, adjuro, quos S. Michaël Archangelus ejecit de cœlo rebelles creatori veſtro, qui vos, principémqué veſtrum Luciferum creavit tanto illuminatos lumine, & claritate, deinde ſuperbia veſtra convertit vos in tam horribiles, & horrendas beſtias, inimicos Chriſtianorum, qui ſunt creati, ut ſedeant ſuper ſedes in cœleſtibus regnis, à quibus fuiſtis expulſi, ut eatis, & diſcedatis de aëre, & de nubibus maledicti, & rebelles veſtro creatori, ite, ite

in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ne amplius noceatis redemptis pretioſo Sanguine JESU Chriſti. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

FINIS.

Approbationes.

Frater Auguſtinus Galaminius, Inquiſitor Mediolani, 28. Maij. 1604.

Alex. Boſſius, Canonicus Ordinarius Theologus pro Illuſtriſſ. Cardin. Archiepiſcopo.

Impr. denuò Fr. Petrus à Flor. Vicarius Inquiſitor Brixiæ.

Fr. Franc Petraſancta, Inquiſitor Brixiæ.

DE

DE

PROCESSIONE IN FESTO SANCTISSIMI CORPORIS CHRISTI.

EVANGELIUM I.

℣. *D*ominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.
℣. Initium ſancti Evangelij ſecundum Matthæum.
℟. Gloria tibi Domine.

LIber genetarionis JESU Chriſti Filij David, Filij Abraham. Abraham genuit Iſaac : Iſaac autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Judam, & fratres eius. Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſron : Eſron autem genuit Aram : Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſon : Naaſon autem genuit Salmon : Salmon autem genuit Booz de

Rahab : Booz autem genuit Obed ex Ruth: Obed autem genuit Jeſſe : Jeſſe autem genuit David Regem. David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ, Salomon autem genuit Roboã Roboam autem genuit Abiam: Abias autem genuit Aſa : Aſa autem genuit Joſaphat. Joſaphat autem genuit Joram : Joram autem genuit Oziam : Ozias autem genuit Joathan : Joathan autem genuit Ezechiam Ezechias autem genuit Manaſſen : Manaſſes autem genuit Amon : Amon autem genuit Joſiam : Joſias autem genuit Jechoniam, & fratres eius, in tranſmigratione Babylonis. Et poſt tranſmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel : Salathiel autem genuit Zorobabel : Zorobabel autem genuit Abiud : Abiud autem genuit Eliacim: Eliacim autem genuit Azor : Azor autem genuit Sadoch : Sadoch autem genuit Achim : Achim autem genuit Eliud : Eliud autem genuit Eleazar : Eleazar autem genuit Mathan : Mathan

au-

autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Joseph, Virum Mariæ, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.

Per Evangelica dicta; deleantur nostra delicta.

℟. Amen.

Per istos sermones sancti Evangelii, & merita, ac interceſſionem sancti Matthæi Apostoli, & Evangelistæ, indulgeat nobis *D*ominus universa crimina, atque delicta nostra.

℟. Amen.

℣. A fulgure, & tempestate.

℟. Libera nos Domine.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. *D*ominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

A *D*omo tua quæsumus *D*omine, spiritales nequitiæ repellantur, & aêrearũ discedat malignitas tempestatum. Per Christum *D*ominum nostrum. ℟. Amen.

EVANGELIUM II.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Initium sancti Evangelij secundùm Marcum.

℟. Gloria tibi Domine.

INitium Evangelij JEsu Christi filij DEI, sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptimum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ Regio, & Jerosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis Cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas, & mel silvestre edebat. Et prædicabat, dicens: Venit fortior me post me: cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum

torum eius. Ego baptizavi vos aquâ, ille verò baptizabit vos Spiritu sancto.

Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.

℟. Amen.

Per istos sermones sancti Evangelij, & merita ac intercessionem S. Marci Evangelistæ, indulgeat nobis Dominus universa crimina, atque delicta nostra.

℟. Amen.

℣. A peste, fame, & bello.

℟. Libera nos Domine.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

BEnedic DEus omnipotens locum istum: ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio DEO Patri, & Filio, & Spiritui sancto: & hæc benedictio maneat supra hunc locum, & super habi-

tantes

tantes in eo, nunc, & in sæcula, sæculorum.

℟. Amen.

EVANGELIUM III.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Initium sancti Evangelij secundùm Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

FUit in diebus Herodis Regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth. Erant autem justi ambo ante DEum incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius, eò quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem, cùm Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante DEum, secundùm consuetudinem Sacerdotij, sorte exijt, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris

ris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris Altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomine eius Joannem, & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt Erit enim magnus coram Domino, & vinum, & siceram non bibet: & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ & multos filiorum Israël convertet ad Dominum DEum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

Per istos sermones sancti Evangelij, & merita, ac interceſſionem sancti Lucæ Evangelistæ, indulgeat nobis Dominus, universa crimina, atque delicta nostra. ℟. Amen.

℣. A

℣. A subitaneâ, improvisâ, & perpetuâ morte.

℟. Libera nos Domine.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEus, qui in omni loco Dominationis tuæ assistis, totus operaris: adesto supplicationibus nostris, & hujus loci, cujus es fundator, esto protector, ut nulla in eo nequitia contrarietatis obsistat, sed virtute Spiritûs sancti cooperante fiat hìc tibi semper purum gratúmque servitium, & devota voluntas. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Oremus.

VIsita quæsumus Domine locum istum, & omnes insidias inimicorum ab eo longè repelle, & Angeli tui sancti habitent in eo, qui eum in pace custodiant, & Benedictio tua sit semper

super

ſuper eum. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

EVANGELIUM IV.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Initium ſancti Evangelij ſecnndùm Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEum, & DEus erat Verbum. Hoc erat in principio apud DEum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à DEo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. In mundo

do erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri, his, qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt. Et VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.

Per istos sermones sancti Evangelij, & merita, ac intercessionē sancti Joannis Apostoli, & Evangelistæ, indulgeat nobis Dominus universa crimina, atq; delicta nostra. ℟. Amen.

℣. A fulgure, † & tempestate,
℟. Libera nos Domine.
℣. A peste, fame, † & bello.
℟. Libera nos Domine.
℣. A subitanea, improvisa, † & perpetua morte.

℟. Li-

℟. Libera nos Domine.
℣. Ab omni malo. †
℟. Libera nos Domine.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

COEleſti benedictione, benedicatur, cuſtodiatur, ac conſervetur locus iſte, & in eo habitantes, agri, quoque & terræ fructus, in nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus † ſancti.

℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui das eſcam omni carni, qui operis cælum nubibus, & paras terræ pluviam, & januas cæli aperis, qui transfers Auſtrum de cælo, & inducis in virtute tua Africum, qui rigas montes de ſuperioribus ſuis, & de fructu operum tuorum ſatiabitur terra: qui Angelo præcepiſti, ut terræ, mari, & arboribus non noceret; parce metuentibus,

bus, & propitiare supplicantibus. Te etenim Domine supplices exoramus, ut procul abscedat incursio turbinum, calamitas tempestatum, fragor grandinum, percussio fulminum, & quælibet insidiæ inimici temperentur, infesta tonitrua, noxiæque pluviæ, ventorum flamina fiant moderatè suspensa, omnis quoque spiritus procellarum, & aëreæ tempestates dexterâ tuæ virtutis prosternantur. Descendat quæsumus Domine desuper Spiritus sanctus, ut fugatis omnibus contrariæ potestatis virtutibus, fruges manus servet Angelica, & post sopitos nubium impetus, in laudum, & devotionum spiritualium augmentum transeat comminatio tempestatis. Qui vivis, & regnas DEus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

BE-

BENEDICTIO MULIERIS, Post Partum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

Antiphona. Hæc accipiet benedictionem à Domino.

PSALMUS 23.

DOmini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum, & super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à DEO salutari suo.

Hæc

Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem DEI Jacob.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.

Gloria Patri, & Filio, &c. *totum.*

Hæc accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à DEO salutari suo, quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Ingredere in templum DEI, adora Filium beatæ MARIÆ Virginis, qui tibi fæcunditatem tribuit prolis.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Sal-

℣. Salvam fac ancillam tuam Domine.

℟. DEus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Nihil proficiat inimicus in ea.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEus, qui per beatæ Mariæ Virginis partum fidelium parientium dolores in gaudium vertisti: Respice propitius super hanc famulam tuam, ad templum sanctum tuum pro gratiarum actione tam accedentem: & præsta, ut post hanc vitam ejusdem beatæ Mariæ meritis, & intercessione, ad æternæ beatitudinis gaudia cum prole sua pervenire

mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pax, & Benedictio DEI omnipotentis Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus † sancti descendat super te, & maneat semper, Amen.

EXEQUIARUM ORDO.

Parochus verò, ubi ad fores, vel domum defuncti pervenit, mox dicit Antiphonam: Si iniquitates. *Et Psalmum* De profundis, &c. *totum*.

℣. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei, *Et repetit Antiphonam totam*. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam ejus. ℣. Requiem æternam dona

Dom

Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

ABſolve, quæſumus Domine, animam famuli tui N. (vel famulæ tuæ) ut defunctus, (vel defuncta) ſæculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis humana converſatione commiſit, tu veniâ miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

Deinde aſpergatur Funus aquâ benedictâ, dicendo.

ROre cœleſti perfundat animam tuam DEus, in nomine Patris, † & Filij, † & Spiritus † ſancti, Amen.

Cùm autem pervenerit ad ſepulchrum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem.

Oremus.

DEUS, cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt, hunc tumulum benedicere dignare, eíque Angelum tuum ſanctum deputa cuſtodem, & quorum, quarúmq; corpora hîc ſepeliuntur, animas eorum ab omnibus abſolve vinculis delictorum, ut in te ſemper cum Sanctis tuis ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Dicta Oratione, aſpergat ſepulchrum dicendo: ſanctificetur iſtud ſepulchrum In nomine Patris, & Filij, † Spiritus ſancti, Amen.

Tunc Funus ponatur in ſepulchrum dicente Sacerdote: Sume terra quod tuum eſt, ſumat DEus, quod ſuum eſt. Corpus de terra formatum eſt, ſpiritus de ſurſum inſpiratus eſt.

Aſpergatur poſtea funus aquâ benedictâ, & dicatur: Rore cæleſti reficiatur ani-

animam tuam DEus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. ℟. Amen.

Et thuriſicetur dicendo: Odore cœleſti paſcat animam tuam DEus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos palâ ter projiciat terram ſuper funus, dicendo: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem revertêris.

Poſtea Sacerdos dicit: Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo, Amen. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam ejus. ℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. *D*ominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

FAC, quæſumus, *D*omine hanc cum ſervo tuo defuncto, (vel famula tua defuncta) miſericordiam, ut factorum ſuorum, in pœnis non reci-

piat vicem, qui, (vel quæ) tuam in votis tenuit voluntatem, ut ſicut hîc eum, (vel eam) vera fides junxit fidelium turmis, ita illic eum (vel eam) tua miſeratio ſociet Angelicis Choris. Per Chriſtum *D*ominum noſtrum. ℟. Amen. ℣. Requiem æternam dona ei *D*omine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.

Anima eius, & animæ omnium fidelium defunctorum per miſericordiam *D*EI requieſcant in pace.

ORDO SEPELIENDI PARVULOS.

Cùm igitur infans, vel puer baptizatus defunctus fuerit ante uſum rationis, imponitur ei corona de floribus, ſeu de herbis aromaticis, & odoriferis, in ſignum integritatis carnis, & virginitatis, & Parochus ſuperpelliceo, & ſtolâ albâ indutus, & alij de Clero (ſi adſint) præcedente Cruce, quæ ſine, vel

mum

cum haſta defertur, accedunt ad domum defuncti cum Clerico, vel alio aſperſorium deferente. Sacerdos aſpergit corpus, deinde dicit, vel cantat:

Antiph. Sit nomen *D*omini.
Evovaæ.

PSALMUS 112.

LAudate pueri *D*ominum: laudate nomen *D*omini.

Sit nomen *D*omini benedictum: ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

A ſolis ortu uſque ad occaſum: laudabile nomen *D*omini.

Excelſus ſuper omnes gentes *D*ominus: & ſuper cælos gloria ejus.

Quis ſicut *D*ominus *D*Eus noſter, qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cælo, & in terra?

Suſcitans à terra inopem: & de ſtercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem.

Glo-

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, &c.

Antiph. Sit nomen *D*omini benedictum, ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

Poſtea dicitur.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, *ſecretò*, *interim corpus aſpergit.* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣ Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti. ℟. Et confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum. ℣. *D*ominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens, & mitiſſime *D*EUS, qui omnibus parvulis renatis fonte baptiſmatis, dum migrant à ſæculo, ſine ullis eorum meritis, vitam illicò largiris æternam, ſicut animæ hujus parvuli hodie credimus te feciſſe, fac nos quæſumus *D*omine, per interceſſionem beatæ Mariæ ſemper Virgi-

nis,

nis, & omnium Sanctorum tuorum, hîc purificatis tibi mentibus famulari, & in Paradiſo cum beatis parvulis perenniter ſociari. Per Chriſtum *Dominum* noſtrum. ℟. Amen.

Dum portatur ad Eccleſiam vel Cœmeterium, dicatur:

PSALMUS 118.

BEati immaculati in via, qui ambulant in Lege *Domini*.

Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.

Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.

Tunc non confundar, cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia juſtitiæ tuæ.

Juſtificationes tuas cuſtodiam, non me derelinquas uſquequaque.

In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam, in cuſtodiendo ſermones tuos.

In toto corde meo exquiſivi te, ne repellas me à mandatis tuis.

In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.

Benedictus es *D*omine, doce me juſtificationes tuas.

In labijs meis, pronuntiavi omnia judicia oris tui.

In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitijs.

In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas.

In juſtificationibus tuis meditabor, non obliviſcar ſermones tuos.

Gloria Patri, &c.

Cùm autem pervenerit ad Eccleſiam, vel Cœmeterium, dicatur:

Antiph. Hic accipiet. Evovæ.

PSALMUS 23.

DOmini eſt terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo.

Quia

Quia ipſe ſuper maria fundavit eum, & ſuper flumina præparavit eum.

Quis aſcendet in montem *D*omini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à *D*omino, & miſericordiam à *D*EO ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem *D* E I Jacob.

Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? *D*ominus fortis, & potens, *D*ominus potens in prælio.

Attollite pottas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? *D*ominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Gloria Patri, &c.

Antiph. Hic accipiet benedictionem à *D*omino, & misericordiam à *DEO* salutari suo, quia hæc est generatio quærentium *D*ominum.

Interea ad sepulchrum perveniens, illud aspergat aquâ benedictâ, atq; thurificat, dicens: Sanctificetur sepulchrum istud, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. ℟. Amen.

Cùm deinde parvuli funus in sepulchrum ponitur, dicens: Sumat *D*EUS quod suum est, corpus de terra formatum est, spiritus desursum inspiratus est. *Et statim illud aspergit aquâ benedictâ, & thurificat.*

Deinde palâ ter super injiciat terram, dicendo: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem revertêris.

Postea dicit: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Sinite parvulos venire ad me. ℟. Talium est enim regnum cælorum. ℣. *D*ominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

OMmnipotens ſempiterne *DEUS*, ſanctæ puritatis amator, qui animam hujus parvuli ad cælorum regnum hodie miſericorditer vocare dignatus es, digneris etiam *D*omine ita nobiſcum miſericorditer agere, ut meritis tuæ ſanctiſſimæ Paſſionis, & interceſſione beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, in eodem regno nos cum omnibus Sanctis, & Electis tuis, ſemper facias congaudere.

DEus, in cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt, famulis, & famulabus tuis omnibus, hîc, & ubique, in Chriſto quieſcentibus, da propitius veniam peccatorum, ut à cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur. Per Dominum noſtrum, &c.

℣. Requieſcant in pace,

℟. Amen.

ORDO.

AD FACIENDAM AQUAM BENEDICTAM.

Diebus Dominicis, & quandocunq; opus fuerit, præparato Sale, & Aquâ mundâ benedicendâ in Eccleſia, vel in Sacriſtia, Sacerdos cum Superpelliceo, & Stola violacea indutus, primò dicit:

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde abſolutè incipit exorciſmum Salis.

EXorcizo te creatura Salis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, per Deum, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ: ut efficiaris Sal exorcizatum in ſalutem credentium: & ſis omnibus ſumentibus

te

te ſanitas animæ & corporis: & effugiat atque diſcedat à loco, in quo aſperſum fueris, omnis phantaſia & nequitia, vel verſutia diabolicæ fraudis, omnisque ſpiritus immundus adjuratus, per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus. *Oratio.*

IMmenſam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturã Salis, quam in uſum generis humani tribuiſti, benedicere †, & ſanctificare †, tua pietate digneris, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, & quicquid ex eo tactum, vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritalis nequitiæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exorciſmus Aquæ: & dicatur ſine Oremus.

EXorcizo te creatura Aquæ, in nomine Dei Pa † tris omnipotentis, &

& in nomine JESU † Christi Filii eius Domini nostri, & in virtute Spiritus † sancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas cum Angelis suis apostaticis: per virtutem eiusdem Domini nostri JESU Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus. *Oratio.*

DEUS, qui ad salutem humani generis maxima quæq; Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitus invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis † infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos divinæ gratiæ sumat effectum, ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda respersérit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic re-

sideat

ſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens; diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici; & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aſperſione huius aquæ effugiat, ut ſalubritas per invocationem ſancti tui nominis expetita, ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, &c.

Hîc mittat Sal in aquam in modum Crucis, dicendo ſemel: Commixtio Salis & Aquæ pariter fiat: In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † ſancti.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEUS invictæ virtutis auctor, & inſuperabilis imperii Rex, ac ſemper magnificus Triumphator; qui adverſæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis ſævitiam ſuperas:

qui

qui hostiles nequitias potenter expugnas: te Domine, trementes & supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam Salis, & Aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices, ut ubicunque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur: terrorque venenosi serpentis procùl pellatur: & præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum, &c. In unitate eiusdem Spiritus sancti, &c.

BENEDICTIO PULVERIS TORMENTARII.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram:

℣. Sit

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, & usque in sæculum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

BEnedic † Domine, hos pulveres Tormentarios, Benedictione cœlesti, & assistat super eos Virtus Spiritus sancti, ut ubicunque hi pulveres contra aëreas potestates, & dæmoniacas fraudes accensi fuerint, ac eorum fragor insonuerit, procùl recedat insidiantium umbra phantasmatum. Percussio fulminum, læsio Tonitruum, Calamitas Tempestatum, omnisque spiritus procellarum, ut qui fragorem horum pulverum audierint, deprecantes Dominum cœli pro remissione scelerum suorum, pro frugibus, & pro omnibus necessariis suis, intercedente beatissimâ Virgine MARIA Dei Genitrice, & omnium Sanctorum impetrare, quæ petierint

tierint mereantur. Salvator mundi Deus, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen. *Aſpergantur pulveres Aquâ benedictâ.*

ORDO BAPTISMI PARVULORUM

QUomodo vocandus eſt Infans iſte? *Vel, ſi Patrinus ignorat linguam Latinam, Germanicè ſic interrogatur:* Wie ſoll das Kind heiſſen? *Patrinus reſpondet:* N. *vel* N. *Sacerdos* N. Quid petis ab Eccleſia Dei? Was begehreſt du von der Kirchen GOttes? *Patrinus reſpondet:* Fidem. Den Glauben. *Sacerdos.* Fides quid tibi præſtat? Was gibt dir der Glauben? *Patrinus reſpondet:* Vitam æternam. Das ewige Leben. *Sacerdos.* Si igitur vis ad vitam ingredi, ſerva Mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &

& ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum, ſicut te ipſum.

Deinde ter exſufflet leniter in faciem infantis, & dicat ſemel: Exi ab eo, (*vel* ab ea) immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto paraclito.

Poſtea pollice faciat ſignum Crucis in fronte, & pectore infantis, dicens: Accipe ſignum Crucis, tàm in fronte †, quàm in corde †, ſume fidem cœleſtium præceptorum, & talis eſto moribus, ut templum Dei jam eſſe poſſis.

Oremus.

PReces noſtras quæſumus, Domine, clementer exaudi: & hunc electum tuum N. Crucis Dominicæ impreſſione ſignatum, perpetua virtute cuſtodi, ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta ſervans, per cuſtodiam mandatorum tuorum, ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Deinde

Deinde imponat manum ſuper caput infantis, ac dicat:

Oremus:

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater *D*omini noſtri JESU Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eo expelle: disrumpe omnes laqueos ſathanæ, quibus fuerat colligatus aperi ei Domine januam pietatis tuæ, ut ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fætoribus careat, & ad ſuavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem. Per eundem Chriſtum *D*ominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos benedicat ſalem, qui ſemel benedictus, aliàs ad eundem uſum deſervire poteſt.

BENEDICTIO SALIS.

EXorcizo te creatura ſalis, in nomine DEI Patris Omnipotentis †, &

& in charitate *D*omini noſtri JESU Chriſti †, & in virtute Spiritus ſancti †. Exorcizo te per Deum vivum ✠, per Deum verum ✠, per Deum ſanctum ✠, per Deum ✠, qui te ad tutelam humanî generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit, ut in nomine ſanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noſter, ut hanc creaturam ſalis ſanctificando ſanctifices ✠, & benedicendo benedicas ✠, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in nomine ejuſdem *D*omini noſtri JESU Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem.

℟. Amen.

Deinde imittat modicum ſalis benedicti in os infantis, dicens: N. accipe ſalem ſapientiæ: propitiatio ſit tibi in vitam æternam.

℟. Amen.

Sacer-

Sacerdos. Pax tecum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.
Oremus.

DEus Patrum noſtrorum, *D*eus univerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, & hoc primum pabulum ſalis guſtantem, non diutiùs eſurire permittas, quò minùs cibo expleatur cœleſti, quatenus ſit ſemper ſpiritu fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſerviens. Perduc eum *D*omine, quæſumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum *D*ominum noſtrum.
℟. Amen.

Exorcizo te immunde ſpiritus in nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus ſancti †, ut exeas, & recedas ab hoc famulo *D*ei N. Ipſe enim tibi imperet, maledicte damnate, qui pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergò

Ergò maledicte diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo, & vero, da honorem JESU Chriſto Filio eius, & Spiritui ſancto: & recede ab hoc famulo Dei N. quia iſtum ſibi Deus, & Dominus noſter JESUS Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, fontemque Baptiſmatis vocare dignatus eſt.

Hic pollice in fronte ſignat infantem, dicens:

Et hoc ſignum ſanctæ Crucis †, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Mox imponit manum ſuper caput infantis, & dicit:

Oremus.

ÆTernam ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine ſancte; Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis, & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. ut digneris eum il-

luminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eum, & sanctifica: da ei scientiam veram, ut dignus gratiâ Baptismi tui effectus, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Postea Sacerdos imponit extremam partem Stolæ super infantem, & introducit eum in Ecclesiam, dicens.

N. Ingredere in templum DEI, ut habeas partem cum Christo in vitam æternam. ℟. Amen.

Cum fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem, cum susceptoribus conjunctim clarâ voce dicit:

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ &c. *totum.*

Pater noster, &c. *totum.*

Vel germanicè dicat:

Sprecht mit mir den Christlichen Catholischen Glauben/ sambt dem H. Vatter vnser/ &c.

Bapti-

Baptizans, & circumſtantes genuflectunt, & recitant ſecretò. Credo, & Pater noſter, &c.

Quibus peractis ſurgunt, & Baptizans antequam accedat ad Baptiſterium, dicat:

EXORCISMUS.

EXorcizo te omnis ſpiritus immunde, in nomine Patris omnipotentis ✠ & in nomine JESU Chriſti, Filii eius Domini, & Judicis noſtri ✠, & in virtute Spiritus ſancti ✠, ut diſcedas ab hoc Plaſmate Dei N. quod Dominus noſter ad templum ſanctum ſuum vocare dignatus eſt, ut fiat templum Dei vivi, & Spiritus ſanctus habitet in eo. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. R. Amen.

Poſtea Sacerdos digito accipiat de ſaliva oris ſui, & tangat aures, & nares infantis: tangendo verò dextram, & ſiniſtram, dicat:

Ephpheta, quod est Adaperire: *Deinde tangat nares, dicens*: In odorem suavitatis, (*& subdit*): Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim Judicium Dei.

Postea interrogat baptizandum nominatim, dicens:

N. Abrenuncias sathanæ? Widersagst du dem Teuffel?

Respondet Patrinus: Abrenuntio. Ich widersag.

Et omnibus operibus eius? Und allen seinen Wercken.

℟. Abrenuncio. Ich widersag.

Et omnibus pompis eius? Und aller seiner Hoffart?

℟. Abrenuntio. Ich widersag.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in Oleo Catechumenorum, & infantem ungit in pectore, & inter scapulas in modum Crucis, dicens:

Ego te linio † Oleo salutis, in Christo † JESU Domino nostro, ut habeas vitam æternam.

℟. Amen.

Su

Subinde pollicem, & inuncta loca abſtergit bombacio vel reſimili, deponit Stolam violaceam, & aſſumit aliam albi coloris, & interrogat expreſſo nomine baptizandum, Patrino reſpondente.

N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ.

N. Glaubſt du in GOtt Vatter Allmächtigen Schöpffer Himmels / vnd der Erden?

℟. Credo. Jch glaub.

Credis in JESUM Chriſtum Filium eius unicum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum?

Glaubſt du in JEſum Chriſtum ſeinen einigen Sohn / vnſern HErrn / der gebohren iſt / vnd gelitten hat?

℟. Credo. Jch glaub.

Credis in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam?

Glaubſt du in den heiligen Geiſt / ein heilige / allgemeine / Chriſtliche / Ca-

tholische Kirchen / Gemainschafft der Heiligen/Ablaß der Sünden/ Auffer-stehung deß Fleisches/ vnd ein ewiges Leben?

℟. Credo Ich glaub.

Subinde expresso nomine baptizandi, ter Sacerdos interrogat.

N. Vis baptizari?

Wilt du getaufft werden?

Respondet Patrinus. Volo.

Ich will.

Quærat deinde Sacerdos, an propter periculum evitandum, sit circa Baptismum infantis, aliquid attentatũ à quopiam? Et si respondeatur, nihil ejusmodi factum, tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente, Sacerdos vasculo, seu urceolo accipit aquam Baptismalem, & de ea ter fundit supra caput infantis in modum Crucis, & simul verba proferens, semel tantùm distinctè, & attentè dicit.

N. Ego

N. Ego te baptizo in nomine Patris† *fundat primò*, & Filij, † *fundat ſecundò*, & Spiritus † ſancti, *fundat tertiò*.

℟. Amen

Si verò dubitatur, an infans fuerit baptizatus, utatur hâc formâ.

N. ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, † & Filij, † & Spiritus † ſancti.

℟. Amen.

Deinde intingit pollicem in ſacro Chriſmate, & ungit infantem in ſummitate capitis in modum Crucis, dicens.

DEUS omnipotens, Pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, (*hic inungit*) ipſe te liniat Chriſmate ſalutis ✠ in eodem Chriſto JESU Domino noſtro in vitam æternam. ℟. Amen.

Sacerdos. Pax tibi.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Tum bombacio, aut re ſimili abſtergit pollicem ſuum, & locum inunctum, & imponit capiti eius linteolum candidum loco veſti albæ, dicens:

Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri JESU Chriſti, ut habeas vitam æternam.

℟. Amen.

Poſtea dat ei, vel Patrino, candelam accenſam, dicens:

Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum tuum: ſerva Dei mandata, ut cùm Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula cœleſti, habeásque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

Poſtremò dicit.

N. Vade in pace, & Dominus ſit tecum.

℟. Amen.

DI

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

CUm perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum, dicit: Pax huic domui.

℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Postea stans versus agrotum, dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

INtroeat, Domine JESU Christe, domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu, æterna felicitas, divina proſperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna. effugiat ex hoc

loco acceſſus dæmonum; adſint Angeli pacis, domumque hanc deſerat omnis maligna diſcordia. Magnifica Domine, ſuper nos nomen ſanctum tuum: & benedic ✠ noſtræ cõverſationi: ſanctifica noſtræ humilitatis ingreſſum; qui ſanctus, & pius es, & permanes cum Patre, & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus, & deprecemur Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, ut benedicendo benedicat ✠ hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo: & det eis Angelum bonum cuſtodẽ, & faciat eos ſibi ſervire ad conſiderandum mirabilia de Lege ſua, avertat ab eis omnes contrarias poteſtates: eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac ſanos in hoc tabernaculo cuſtodire dignetur. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat Deus in ſæcula, ſæculorum, Amen.

Oremus.

EXaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere

tere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum *Dominum* noſtrum, Amen.

Quæ orationes, ſi tempus non patiatur, ex parte, vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta confeſſione generali, Latino vel vulgari ſermone, Sacerdos dicat: Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, abſolutionem, &c.

Tunc Presbyter pro loco, tempore, & adſtantium numero, vel qualitate recitabit ſeptem Pſalmos pœnitentiales (vel ſi temus non ferat, ſaltem Pſalmum Miſerere) *cum Litaniis, verſiculis, & orationibus.*

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES cum Litaniis.

Antiphona. Ne reminiſcaris.

PSALMUS 6.

DOmine, ne in furore tuo arguas me; neq; in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum : ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valde : ſed tu Domine uſquequo ?

Convertere Domine , & eripe animam meam : ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi ?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum : lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite â me omnes, qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam : Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur, & erubeſcant valde velociter.

Glo-

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen

PSALMUS 31.

BEati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit *Dominus* peccatum: nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die, ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua: converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam *Domino*: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus: in tempore opportuno.

Veruntamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, quâ gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus, & mulus: quibus non est intellectus.

In camo, & fræno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in *D*omino misericordia circumdabit.

Lætamini in *D*omino, & exultate justi: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS. 37.

DOmine, ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quo-

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum : & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ : à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem : tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus : & non eſt ſanitas in carne mea

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis : rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne deſiderium meum : & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea : & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

Amici mei, & proximi mei : adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt.

Et qui juxta me erant, de longè ſteterunt : & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, ne quando super gaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne

Ne derelinquas me Domine DEUS meus : ne discesseris à me.

Intende in adjutorium meum : Domine DEus salutis meæ.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS 50.

MIserere mei DEus, secundùm magnam misericordiam tuam.

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum ; dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea : & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti : incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asper-

Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me DEUS: & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te convertentur.

Libera me de ſanguinibus DEUS, DEus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea juſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis.

Sa-

Sacrificium DEO ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum DEus non deſpicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jeruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS 101.

DOmine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.

A ve-

A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ, & indignationis tuæ quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem, & generationem.

Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, & terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram aſpexit.

Ut audiret gemitus compeditorum, ut ſolveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini, & laudem ejus in Jeruſalem.

In conveniendo populos in unum, & reges, ut ſerviant Domino.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ, paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum, in generationem, & generationem anni tui.

Ini-

Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veteraſcent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filij servorum tuorum habitabunt, & semen eorum in sæculum dirigetur.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS 129.

DE profundis clamavi ad te Domine Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus, ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.

Et

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS 142.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua exaudi me: in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi, & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus,

Non avertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia DEus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiph. Ne reminiscaris Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

LITANIÆ.

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis DEus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte DEus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus DEus, Miſerere nobis.
Sancta MARIA,
Sancta DEI Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Sancte Michaël,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphaël,
} Ora pro nob.
Omnes ſancti Angeli, & Archangeli, Orate pro nobis.
Omnes ſancti Beatorum ſpirituum Ordines, Orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptiſta, Ora pro nob.
Omnes ſancti Patriarchæ, & Prophetæ. Orate pro nobis.

Sancte [Petre, Paule, Andrea, Jacobe, Joannes, Thoma, Jacobe, Philippe, Bartholomæe, Matthæe, Simon, Thadæe, Matthia, Barnaba, Luca, Marce,] Ora pro nobis.

Omnes sancti discipuli Domini, Orate pro nobis.

Omnes sancti Innocentes, Orate pro nobis.

Sancte Stephane, Ora pro nobis.

Sancte Laurenti, Ora pro nobis.

Sancte Vincenti, Ora pro nobis.

Sancte Christophore, Ora pro nobis.

Sancti Fabiane, & Sebastiane, Orate pro nobis.

San-

Sancti Joannes & Paule, Orate pro nobis.

Sancti Cosma, & Damiane, Orate pro nobis.

Sancti Gervasi, & Prothasi, Orate pro nobis.

Omnes sancti Martyres. Orate pro nobis.

Sancte { Sylvester, Gregori, Ambrosi, Augustine, Hieronyme, Martine, Nicolae, Ruperte, Virgili, } Ora pro nobis.

Omnes sancti Pontifices, & Confessores, Orate pro nobis.

Omnes sancti Doctores, Orate pro nobis.

Sancte Benedicte, Ora pro nob.

Sancte Antoni, Ora pro nob.

Sancte Bernarde, Ora pro nob.

Sancte Dominice, Ora pro nob.

Sancte Franciſce, Ora pro nob.
Omnes ſancti Sacerdotes, & Levitæ, Orate pro nobis.
Omnes ſancti Monachi, & Eremitæ, Orate pro nobis.

Sancta { Maria Magdalena, Agatha, Lucia, Agnes, Cæcilia, Catharina, Anaſtaſia, Brigitta, Barbara, } Ora pro nobis.

Omnes ſanctæ Virgines, & Viduæ, Orate pro nobis.
Omnes Sancti, & Sanctæ DEI, Intercedite pro nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato. Libera nos Domine.
Ab ira tua, Libera nos Domine.
A ſubitanea, & improviſa morte, Libera nos Domine.

A

Ab insidiis diaboli,
Ab ira, odio & omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure, & tempestate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ,
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Baptismum, & sanctum Jejunium tuum,
Per Crucem, & Passionem tuam,
Per mortem, & sepulturam tuam,
Per sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per Adventum Spiritus S. Paracleti,
In die Judicii,
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,

Libera nos Domine.

Ut Eccleſiam tuam ſanctam regere, & conſervare digneris,

Ut domnum Apoſtolicum, & omnes Eccleſiaſticos Ordines in ſancta Religione conſervare digneris,

Ut inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris,

Ut Regibus, & Principibus Chriſtianis pacem, & veram concordiam donare digneris.

Ut cuncto populo Chriſtiano pacem, & unitatem largiri digneris,

Ut noſmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare, & conſervare digneris,

Ut mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas,

Ut omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas,

Ut animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum ab æterna damnatione eripias,

Ut fructus terræ dare, & conſervare digneris,

Ut

Te rogamus audi nos.

Ut has grandines à dæmonibus excitatas in aquam reducere digneris,
Ut has grandines circumdare, & dissolvere digneris,
Ut has grandines annihilare, & à partibus fidelium depellere, & effugare digneris,
Ut has grandines benedicere, & dividere digneris,
NB. *Quatuor antecedentes petitiones non dicuntur, nisi in Adjurationibus.*
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris.
Ut nos exaudire digneris,
Fili DEI,

Te rogamus audi nos.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos,

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater noſter, &c. *totum.*

PSALMUS 69.

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina.

Confundantur, & revereantur: qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorſum, & erubeſcant: qui volunt mihi mala.

Avertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus, & pauper ſum: DEus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Salvos fac ſervos tuos.

℟. DEus meus ſperantes in te.

℣. Eſto

℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine non secundùm peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N.

℟. Dominus conservet eum, & vivificet eum: & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis benefacientibus propter nomen tuum vitam æternam, Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac ſervos tuos, DEus meus ſperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de ſancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: ſuſcipe deprecationem noſtram, ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

EXaudi, quæſumus Domine, ſupplicium preces, & confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

INeffabilem nobis Domine, miſericordiam tuam clementer oſtende: ut ſimul nos, & à peccatis omnibus exu-

as,

as, & à pœnis, quas pro his meremur eripias.

DEus, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris: preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur averte.

OMnipotens, ſempiterne DEUS, miſerere famulo tuo Pontifici noſtro N. & dirige eum ſecundùm tuam clementiam in viam ſalutis æternæ: ut te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEus à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem, ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine: tempora ſint tuâ protectione tranquilla.

URe igne S. Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine, ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

FIdelium DEus omnium Conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularúmque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut ut indulgentiam, quam semper optaverunt, pijs supplicationibus consequantur.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, & operatio, à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur.

OMnipotens sempiterne DEus, qui vivorum dominaris, simul, & mortuorum, omniúmque misereris, quos tuos fide, & opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus; ut ut pro quibus effundere preces decrevimus, quósque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum JEsum Christum, &c.

℣. Do-

℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.
℣. Exaudiat nos omnipotens, & miſericors Dominus.
℟. Amen.
℣. Et fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace.
℟. Amen.

His peractis, Sacerdos accedit ad lectum infirmi, & extensâ manu dexterâ facit ter ſignum Crucis ſuper eum, dicens.

IN nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus †ſancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli, per impoſitionem manuum noſtrarum, & per invocationem omnium ſanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul Sanctorum, Amen.

Deinde intincto pollice in Oleo ſancto, in modum Crucis ungit infirmum in partibus hic ſubſcriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum.

Ad Oculos.

PEr iſtam ſanctam † unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum: In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † ſancti.

℟. Amen.

Miniſter verò, ſi eſt in Sacris, vel ipſemet Sacerdos poſt quamlibet nnctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacij, vel rei ſimilis, eáque in vaſe mundo reponat, & ad Eccleſiam poſtea deferat, comburat, cinerésque projiciat in ſacrarium.

Ad Aures.

PEr iſtam ſanctam † unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per auditum: In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † ſancti.

℟. Amen.

Ad Nares.

PEr iſtam ſanctam † unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliqui-

ſti

sti per odoratum: In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti.

℟. Amen.

Ad Os, compressis labijs.

PEr istam sanctam † unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per gustum, & locutionem deliquisti: In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti. ℟. Amen.

Ad Manus.

PEr istam sanctam † unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per tactum deliquisti: In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti.

℟. Amen.

Et adverte quòd Sacerdotibus, ut dictum est, manus non inunguntur interiùs, sed exteriùs.

Ad Pedes.

PEr istam sanctam † unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per gressum

grellium deliquiſti: In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † ſancti.
℟. Amen.

Ad lumbos, ſive renes.

PEr iſtam ſanctam † unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per lumborum delectationem deliquiſti: In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † ſancti. ℟. Amen.

Hæc autem unctio ad lumbos, ut dictum eſt, omittitur ſemper in fœminis, & etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut ſine periculo moveri non poſſunt.

Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit:

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvum fac ſervum tuum.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere eum.

℣ Eſto

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei: cura quæsumus, Redemptor noster gratiâ sancti Spiritus languores istius infirmi, ejusqué sana vulnera, & dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis, & corporis ab eo expelle, plenamque interiùs, & exteriùs sanitatem misericorditer redde, ut ope mi-

misericordiæ tuæ restitutus ad pristina reparetur officia. Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Oremus.

REspice quæsumus Domine, famulum tuum N. in infirmitate sui corporis fatiscentem, & animam refove, quam creasti; ut castigationibus emendatus, se tuâ sentiat medicinâ salvatum. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis; ad invocationem tui nominis benignus assiste, ut famulum tuum ab ægritudine liberatum, sanitate donatum, dexterâ tuâ erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ tuæ sanctæ, cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen. *Deinde*

Deinde assumptâ imagine S. Crucis facit super infirmum sequentes Benedictiones, dicens:

DOminus noster JESUS Christus apud te sit, ut te de † fendat. Intra te sit, ut te re † ficiat. Circa te sit, ut te con † servet. Ante te sit, ut te de † ducat. Post te sit, ut te confor † tet. Super te sit, ut te undique muniat, & bene † dicat. Spiritus sanctus descendat, & maneat super te.

℟. Amen.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis.

℟. Amen.

Et sanet omnes languores tuos.

℟. Amen.

Redimatq; de interitu vitam tuam.

℟. Amen.

Et faciat in omnibus bonis desiderium tuum. Qui solus in Trinitate unus Deus vivit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen. Pax tecum.

Postea extendit manum dexteram, vel si commodè potest, tangit caput ipsius infirmi, dicendo: Sanet

Sanet te Deus Pater, qui te creavit in carne.

Sanet te Filius, qui pro te passus est in cruce.

Sanet te Spiritus sanctus, qui tibi infusus est in Baptismate.

Sancta, & laudabilis Trinitas, unus Deus, gratiam suam ad profectum salutis animæ, & corporis in te augeat, & ab omni malo te liberet, ac in bono jugiter conservet. Qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum,

Amen.

FINIS.

Omnia ad majorem DEI Gloriam.